




DE
URINIS









Last portion - Tryllesius and
Paulus Aegineta wanting.

DE VRINIS

ACTVARII

IOANNIS ZACHARIAE FI-
lij, Medici præstantissimi, libri VII,
Ambrosio Leone Nolano
interprete: in quibus
omnia quæ de
urinis dici possunt, doctis-
sime tractata conti-
nentur.

Antonij Thylesij Cosentini de colori-
bus liber.

Pauli Aeginetæ de Crisi & diebus de-
cretorijs, eorũq; signis fragmentũ.

*Andreæ Leennij Medici epistola, in qua urinæ stu-
dium, & ex ea morborum præuidentiam, ut
quæ seruandæ sit aptior sanitati,
commendat.*

Basileæ apud And. Cratandrum.

A

INDEX LIBRORVM de urinis uiri sapientis Actuarij.



ANDREAS LEENNIVS Ornatissimo Medico, Philippo Buchamero ὑγιαίνειν.



VT rerum maxime necessariarū suus apud seculum uetus inuentoribus honos sit habitus, eosq́; cælo dicarit, & in Deorum numerum retulerit, ex iugi optimorum autorum lectione, Ornatissime Philippe, tibi unguiculis proprijs est notius. Qua de re, uelut equo Troiano, tantus Deûm exercitus prodijt, dum singulis singula beneficia pro merito accepta referre antiquitas conata est, ut iam Deis sint omnia plena. Hinc ob repertas fruges, caput Ceres redimita coronis. Bachum uini datorem agminatim undiq; ebria turba stipat. Vulcanus monstratum ignis ob usum celeber & clarus. Atq; id genus alios non paucos ob inuentionem etiam rei quandoq; non perinde repertu difficilis, sed usibus tamen idoneæ, si non alio beneficio tamen nominis memoria, ἴσον ἴσῳ, & ceu talione uetustas grata rependit. Quæ certe ratio, ut multorum animos eadem faciendi inflammauit, atq; æmulationis præbuit ansam, ita à nullo non cordato uehementer probari debet. Nos profecto ubi earum rerum subit animum recordatio, simplicem & summam gratitudinem ueterum

erga benefactores ſuos protinus exoſculamur ut qui maxime, cum antea quoq; habeamus perſuaſum, ingratitudine nullum aliud eſſe uitium uel deteſtabilius, uel quod hominẽ dedeceat magis. Quod ſi priſci tantum honoris, ijs qui & uulgaria primum adinuenere, ſe dictis factisq́; debere teſtati ſunt, nos eorum qui in re omnium precioſißima, nempe corporis ſalubritate tuenda, nõ dicam guſtus, ſed uberrimos hauſtus in medium dedere, memoriam obſoleſcere ceu parum grati ſuſtinebimus? Eorum qui adeò nobis conſultum bene uolunt, bene dicta obliuionum tenebris illini ſinemus? Quorũ ex albo uel primæ claßis cenſetur apud Græcos Actuarius in arte Peonia, tum unice in ijs quæ ad urinæ dignotionem faciunt adeò præſtitiſſe, ut impræſentiarum quotquot eius farinæ tractandæ ſuſcepere operam, longo interuallo poſt ſe reliquerit. Faceſſant igitur aliorum ſteriles paleæ, atque oppidoquam uerbis inanibus ſuffarcinata cõmentaria, dum hic ſub cõpendio quæ eius Medicinæ partis ſtudioſo uſui futura, conuerrens, ditiorem multò abs ſe lectorem ableget unica lectione, quàm ſi aliorum Canones decies reuoluas. Iſacus præter alios, ingens equor De urinis proſpectandum, potiuſquam ſtudioſis ſui traijciendum oſtentat. Hippocratem & Galenum alioqui in medica facultate abſq; cõtrouerſia principes, demptis admodum paucis aphoriſticis ſermonibus, idq́; ſparſim &

ſim & obiter, ſuper eadem re ſolidos ſermones exaraſſe hauddum conſtat. Hanc uero cognitionē à ueteribus quidem cœptam, Actuarius hijs epitomis abſoluit, & ſupremam manum impoſuit. Digna autem tractatio quæ ab omnibus, præcipue Medicinæ ſtudioſijs, obuijs quod aiūt, ulnis excipiatur. Quippe ea nobis & morborum tempora, augmentum & declinationem ſuggerit, quæq; alea morbi caſura portendit. Ex ea ualetudinis traduntur auguria. Si enim mane urina candida, dein rufa fiat: illo modo concoquere, hoc concoxiſſe ſignificatur. Mala ſemper ſunt ſignæ rubræ: peßima nigræ. Viridis urinæ color uiſcerum affectum deſignat. Pallida bilis, rubens ſanguinis eſt nota. Mortifera, quæ odore graui eſt. Huiuſmodi urinarum ſignificationes unà cum ratione ſuppeditabit abunde medicorum frequens lectio, in primis uero Actuarij. Porrò quod ex urinæ iudicio morborū pendeat præſagium hinc colligas licet. Sanguis cum formam ſuam ſubſtantialem à formatiua hepatis uirtute indipiſcatur, fit ut ſecundum ſanguinis, cuius urina eſt ſuperfluitas, qualitatem, colatura quæ in renibus formatur, ut Theophilo placet, & confirmat Egidius, æqua proportione reſpondeat. Hinc manifeſtum, ex urina non modo renum, ſed in primis hepatis, atq; uenarum diſpoſitiones poſſe iudicari. Vnde & non difficile eſt ratione aſſequi, cū materia illa aquoſa ex qua

fit urina, & secernitur in renibus, plurimum à uenis atq; hepate patiatur, membra colaturæ à natura demandata, affectum aliquem præter naturam præsagire. Certam igitur in morbis hepatis, & uenosi generis partibus urinam habere significationem, inficias ibit nemo. Quemadmodum uero salubritatis custodi corpora in morbos tendentia præseruare fuerit procliuius, atq; etiam tutius, quàm iam aucta ægritudine in priscarum uirtutum symmetriam restituere, eò maiori studio omnes adniti par erat medicos longe uenienti occurrere morbo, Nasonis illius memores: Sero medicinam consueuisse parari, Dum mala per longas inualuere moras. Quam morborum præuidentiam aliunde uix hauseris felicius atque ab hoc nostro Actuario libris postremis ab urinæ iuditio est tradita. Hanc D. Hippocrates tanti fecit cum alibi, tum in libro eius nominis titulo, ut nihil perinde medico conducibile duxerit. Si enim (inquit) apud ægros præterita, præsentia, & futura nouerit, prædixeritq;, nihil quod illis usui fuerit ignorare putabitur. Quo fit ut audentius homines medico sese committant. Atq; is medicus demum perquam salutarem adhibebit curationem, qui futuras affectiones cognitas, perspectasq; habuerit. Quippe præter aliorum morem, qui οὐκ ἐς βάθος ὁρόντων, οὐδὲ ἀκριβῶς φιλοκρινούντων τὰς νόσους, comite prouidentia, admirandum se præ-

se præstabit medicum. Quos enim superstites fore cognouerit, eos rectius quoq; seruabit. Atq; uicturos morituros'q; præsentiens, prædicens'q; omnem uitabit calumniam. Proinde cum à re uix alia medico sit gloria maior, decens erit totis uiribus huic assequendæ operam tuto in aliquo autore reponere, quo duce salubriter hominum morbis prospiciatur, eatur'q; obuiam, ne quod dici solet τυφλὸς τυφλῷ ὁδηγός. Quamobrem hos septem Actuarij libros, ne & huic parti artis deesse quippiam ab eius studioso queri posset, in Enchiridij formam contrahendos, sub incudem reuocauimus, erroribus nostra prius opella reuulsis. Quæ doctißimæ Philippe tibi inscribitur: non ut quid corporibus humanis sit ex usu te posse latere sperem (qui ea non minus calles ac ipsa natura huius fabricæ autor & nutrix) uerum potius quò nostræ amicitiæ pignus atq; μνημόσυνον te penes delitescens, nostri subinde renouet memoriam. χαῖρε καὶ γένοιτό σοι καλῶς. Basileæ pridie Calendas Iunias, Anno

M. D. XXIX.

AMBROSII LEONIS NOLAni in Actuarium de Vrinis, ad Camillum filium præfatio.



Peram arti Medicæ iamiam daturo tibi Camille fili, scias summopere opus esse ut duas comites habeas, easq; non comites solũ uerum etiam exploratrices ac fidas, certasq; nuncias rerum & uiarum, per quas tute iter facturus es; Quarum altera, est exacta pulsuum scientia, altera urinarũ exquisita cognitio. Quandoquidem sine comitibus his ipsis, tanquã in denso inuioq; nemore uiarũ ignari uiatores eundo aberrant, ita in arte medica, qua uelis parte procedant medici, quorsum tendant, hallucinãtur. Quod ut medicis res est omnium turpissima, ita etiam ægrotis & summo periculo, & incommodo maximo esse reperitur. Medici enim male sanos curandi spe frustrati erubescunt, ac dimittuntur, domoq; turpius eijciuntur; illi pro ualetudine recuperanda uel

dolorẽ

dolorem ſubeunt ingentem, uel mortem citam oppetunt. Nullum enim damnoſius medicamen adhiberi ægris poſſe uidetur, quàm ignari medici cõſilium. Veruntamen ſcientiam de pulſu optime tractatam à Galeno diſcere licebit. Vrinarum uero cognitionẽ, ut à nullo alio doctorũ capere poteris, ita plenam & exactam Actuarius Græcus autor literis mandaſſe comperitur. Quod opus, de Græca oratione in Latinam uertimus, idq́ue ut ipſum legeres, diſceresq́ue in primis; atque ut duces duos ſummos ſumme neceſſarios, quos ſequaris, haberes. In quo quemadmodum Actuarius ſuper omnibus medicis qui ſuperioribus ſeculis illuxerant, cenſuit, ita nos quoque iudicauerimus de cæteris qui ab Actuarij tẽporibus aduſque noſtram tempeſtatẽ excelluiſſe creduntur. Monuit enim uir ille, neminem philoſophorũ medicorumúe qui ante ipſum floruerant, neque exquiſite de urinis diſputaſſe. Quamobrem artem Medicam hoc ueluti pede carentẽ eatenus claudã iuiſſe, mancamq́ue iacuiſ-

se, demonstrauit. Quam deinde summis ipse lucubrationibus, studijsq́ assiduis adhibitis sanauit, atq perfectam reddidit. Nos uero etiam affirmamus, nullum ullibi, quantum legendo cognouimus, post Actuarium apparuisse philosophū medicumúe qui de urinis disputare sciuisset. Rasis enim & Aliabas, & Isacus, & Auicenna, qui inter Arabas medicos præstitisse leguntur (Latinos taceo, qui nihil super urinaria materia præter paucula quædam carmina literis tradiderūt) dum etiam non lecto Actuario, animaduerterent medicam artem mutilam esse, quod explicatam non haberet urinarum cognitionem, summa ope nixi sunt illam tractare atq complere. Sed tamen ut maximis conatibus sperauere opus exigere, ita operam oleumq́ perdiderunt. Tractatibus enim de urinis, quos scripsere, nō modo omnis analesis & ordo omnis abest, uerumetiam confusio ingens, & profunda obscuritas, incertaq́ sententia, atq plurima falsitas insita est. Neq mirū id cuiquā esse debeat. Arabes enim tam philo-

philoſophi quàm medici omnẽ diligentiam adhibentes referendis aliorum, & Galeni ſententijs, uim tractandi artisq; prudentiam neglexerunt. Raſis nanque maximum librum congeſſit, aliorum ſolummodo præcepta reſcribens. Aliabas item uſqueadeò inhæſit Galeni dictorũ recitationibus, ut ſimia Galeni à poſteris appellatus ſit. Auicẽna quinimmo præterquam quod tranſcriptor fuit Aliabatis, & Raſis, etiam interpretẽ Galeni ſeſe faſſus eſt. Nam interpres idem dicit, quod anteà ab eo, quem interpretatur, dictum eſt. Nec aliter feciſſe Iſacum atque cæteros, compertũ eſt. Ob eam rem accidit, ut ſicuti imperitis hi maxime periti apparent, ita à uere doctis dijudicantur indocti. Siquidem reſcribendo aliena, uidentur multa calluiſſe. Suopte uero ingenio ubi eorum quiſquam rem de urinis nõ ab alijs ante tractatam docere ſtudet, is manifeſte arguitur ignoraſſe. Inſula enim eſt omnis, quam fecerunt, de urinis tractatio. Auerrois quoq; interpretando Ariſtotelem, frequentius expoſitiones

Græcorum interpretum rettulit ut suas. Quamobrẽ latinis hominibus, qui Græcas literas ignorarunt, uisus est apprime doctus. Vbi uero suis nauigare uelis est ausus, nauem impegit. Nam præter cætera, in tractatu suo de Substantia orbis præterquam quod multas sententias falsas inculcauit, non etiam est conspectare analesim ullam alicubi, uel doctrinã quæ ordine ullo procederet, ut latius in castigationibus aduersus ipsum demonstratum est à nobis. Quinetiam Auicenna dum res naturales & diuinas ingenio proprio tractare aggressus est, usqueadeò argutule disputauit, ut pro sperata gloria, mali philosophi nomen indeptus sit. Actuarius autem de urinis scripturus, nihil habuit antiquius, quàm ut omnem cognitionem urinarum analetica, & artificiosa tractatione colligeret. Septem enim libros de urinis composuit,
1 quorum primus de differentijs urinarũ
2 est. Secundus ac tertius, De earum iu-
3 dicijs. In quibus diligentissime explicata comperitur omnis ratio quæ spectat ad momen-

momentum, quod an res ſit, appellatur
ab artis demonſtratiuæ magiſtris. Quar- 4
tus uero & quintus liber cauſas docent 5
eorũ quæ prætractata erant in ſuperiori
bus. In qbus libris abſoluitur alterũ ana-
leticæ facultatis momentum, quod illi uo
cant Quamobrem, uel propter quid ſit.
Sextus item ac ſeptimus habent præui- 6
dentias ex urinis, & prognoſticas medi- 7
tationes: quorum mens nihilo minus eſt
propter quid. Hoc ſolo differens à ſupe-
riore. Nam illic cauſa redditur effectuũ
præſentium: in præuidentiarũ libris, cau
ſa comminiſcitur effectuum, qui neceſ-
ſariò ſunt prouenturi. Præter hæc, de
Actuario nõ hactenus apud quenquam
hiſtoricum qui nos doceret, qui uir is, &
cuias eſſet, legimus. Sed tamẽ in ijs, quæ
ipſe diſputauit, clare ſpectare eſt, uiri di-
uinum ingeniũ, ſcientiamq́ rerum pro-
fundam uſqueadeò, ut nemini cedens,
aut metuens, aut obſecutus, ſua minerua
potius uigẽs atq; fretus, rem omnẽ pro-
poſitam doctiſſime uideatur explicauiſ-
ſe. Siquidẽ præter hoſce ſeptem libros,

qui de urinis sunt, etiam magnum opus composuit, in quo omnes medicæ facultatis ideæ summa diligentia & arte tractatæ continentur. Tuum itaque posthac est fili mi, ut te habilẽ, accinctumque tanto magistro pares, atque offeras, ut & optimo præceptori optime discipulus respõdeas, & munus laboremque nostrũ hunc, quem, ut te muniremus, subiuimus, bene locatum in te esse ostendas. Vtque demũ (quod omnium maximum est) ægroti, qui curationibus tuis salutem sui corporis sint cõmissuri, neque opinione, neque spe concepta pacto aliquo frustrati à te esse uideantur. Quibus gradibus, non solum doctus atque amplis fortunæ bonis ditatus euaseris, uerum etiam Deo charus, cunctisque mortalibus qui te norint, perquam gratus extiteris; quo nihil melius optabiliusque homini cõtingere posse, cõpertum est.

ANNOTATIO CAPITVM eorum quæ in libro De differentijs urinarũ continentur.

ACTVARII

IOANNIS ZACHARIAE FI liј, De differẽtiјs urinarũ, Lib. I. Ambrosio Leone Nolano interprete.



VM iandudum sorte quadam putauissem honori magno mihi fore, si illi orationis generi operam darẽ, quod ingentem uoluptatem legentibus pareret: animum induxi, ut aliquod opus componerem, quod gratiјs redimitum existeret. Veruntamen animaduertẽs, me potius dignum esse, ut dicendi munera docerer ab aliјs, ueluti inani incepto incumberem: abstinẽdum mihi esse ab eiusmodi scribendi charactere cogitaui. Atque contrà potius animatus sum, illa præ uiribus eniti tractare, quæ saltem aliquibus non contemnendã utilitatem afferre possent. Siquidẽ qui hisce ita pulchris orationum generibus scribendo insudant, hos ipsos oportet in ina

Captatio beneuolentiæ ab utilitate rei.

nibus propositis, amplissimo & pulcherrimo stylo pollere, ut eorum scripta legentium animos delectẽt: & hi capti ab orationis fucis inutilibus, ad solam illius dulcedinem inclinent. Nobis uero eousque oratio usui esse uult, ut eius uis res ipsas solas demonstret. Quod etsi quisquã disputauerit de materia aliqua optima, atq; ab ornatu orationis aberrauerit: arbitror tamẽ tũ magnitudinẽ utilitatis rei, quæ ab oratione ea significatur, tũ etiã cõmoditatẽ, quæ habet, posthabita orationis elegantia, quamplurimos legentium reddere persuasos. Quinetiam animaduertẽs qualitatem eiusmodi propositi, atque aspernatus illam orationis euigilatam concinnitatem, præ uiribus, atq; quoad fieri potuit, simplicẽ orationem conscripsi ita, ut etiam in scientia perfectis sperẽ esse profuturã. Quam obrem ubi multiplex uariaq; sit (ut mihi persuadeo) orationum ratio atq; materia, nam illarum aliæ alia & demonstrãt & persuadent, magna ratione quisquam illam inter cæteras probauerit, quæ sci-

Medicæ artis præstantia.

entiam de humano corpore stabiliuit. Nanque si illa orationum genera, quæ elegantiam solam sectãtur, quæque ita se habent, ut neque de corpore, neque de anima tractãtia sint, magnifecerit unusquisque, atque autores illorum plurimum contulisse uitæ humanæ uideantur: multomagis & alijs præferre & amare debuerit unusquisque illa quæ scientiam de humanis corporibus continent: ueluti humanæ uitæ multo potius hæc quàm illa cõferẽtia sint. His itaque eo modo se habentibus, ipse quoque libentius nauare operã uellem ei orationis generi, quod de eiusmodi rebus habetur, quàm quicquam illorum introducere quæ uoluptatem usque ad auditum peruenientem accendant. Igitur cum uaria sit scientia, quæ circa humana corpora habetur, siquidẽ illa est de elementis, hæc de fœtus formatione, item alia de refectione, atque alia diuersæ materiæ potius existit cognitio, ipse eam solam tractare decreui, quæ de ægritudinibus contemplatur: idque qua ad cognitionem ægritudinum

conferre poteſt. Nanq; ipſa quoq; uariarum ſpecierum eſſe reperitur.

Quod cognitio, quæ de urinis, utilis ſit. Caput I.



Vm multæ rerum cognitiones habeantur, quibus quiſquam ægritudines nos occupantes dignoſcere poterit: puto hunc non minore ratione electurum illam, quæ de urinis eſt, quippe quæ maximopere conducat ad unãquanq; ægritudinem cognoſcendam. Hac quoq; ratione & ipſe cognitionem, quæ de urinis eſt, tractando aggreſſus ſum, etſi uideam opus hoc ipſum nondum indagatum ab alijs, atq; ad quæ bona uſui eſſe poſſit. Igitur ubi quadrifariam omnẽ diſputationem, quæ circa res ad urinã ſpectantes fieri poteſt, diuiſerim, ut in differentiam, iudicium, cauſam, ac præuidentiam: Primum, fauente deo, eam partem, quæ de differentia urinarum eſt, aggredior.

Autoris ꝓpoſitum, et rerum tractandarum ordo.

Quod

Quod nemo antiquorum usq; ad nostra tempora, de urinis exacte tractauerit. Cap. II.



NEminem inquam, ex antiquis exacte disputasse de urinis cōpertum est: quoniam uiris omnibus circa eiusmodi medicinæ studia doctis, q ante nos illuxere, nescio quonam pacto paruæ curæ fuit de hac re diligenter disputare. Quando quidem uir sapientissimus Hippocrates de urinis parua quædã, atq; passim pronuncians, imperfectam de urinis cognitionem reliquit. Galeno quoq; uiro in hisce studijs uehementi paruæ curæ exactam disputationem de urinis fuisse constat. Nam tantum de urinis docuit, quãtum conueniens uidebat ad persuadendum legentes super aliqua ægritudine, atq; quantum quisquam existimaret cognitionem de urinis adiuuare ad curanda humana corpora: reliquas uero partes huiusmodi perfectæ disciplinæ neglexisse uidetur. Magnus quinetiam, atq; Alexander, ac post hosce etiam Theo-

Hippocratis & Galeni De urinis studia imperfecta.

philus, atq; quidã alij, qui circa hæc studia inuigilantes, quoddam plus alijs scripsisse de urinis uidentur. Verum horum ipsorũ disputatio quoq; imperfecta extitit, ac ueluti ab experientia proficisceretur. Siquidem neq; differentias urinarũ, neq; causas, neq; alia multa quæ exactæ disputationi congruere uidentur, proposuere tractanda. Proinde uidens medicam artem alijs disciplinis præueneratam ob multas res inuentas ab Hippocrate, Galeno, alijsq; post hosce uiris egregijs: scientiam uero de urinis ueluti claudam, & usq; ad dictum gradum exauctam: ego ipse suscepi laborem præ uiribus reddendi disputationem exactam de urinis, atq; deo cõfisus largitori cunctarum rerum, aggressus sum. Quãobrem si nostra hæc lucubratio ad dignitatem exactæ disputationis, & artis accesserit, gratiæ deo actæ sint, cunctæ suppeditatori cognitionis. Quod si multo citerius peruenerit, quàm artis præstantia est, minus iuste quisquam nobis reprehensionem incusserit, ueluti paucas par

Occasio tradẽdæ cognitionis urinarum.

tes

tes tantæ disciplinæ consecuti essemus. Nam etsi quicquam ab eo quod decens est, decidere contigerit, humana est hæc affectio: pepercerit unusquisq; recte diiudicare callens, ponendo quæ decent inibi, unde minus recte dicta submouit. Si enim unusquisq; quomodocunq; sciens præ uiribus attulerit aliquid hominum communitati utilitatis causa, nemo nõ fassus fuerit illud munus esse laudabilis munificẽtiæ. Cõtrà uero si quisquã cupierit absq; ratione accusare studium eorum qui meliora eligere conantur, is prauus potius uir, ac benefacta inuidens conuincetur. Ad hæc, si quis intellexerit ut ipse respondere uoluerim rogationibus amicorum, nanq; hi præsertim fuere, qui me ad scribendum hoc opus coëgere, is fortasse iustam responsionem aduersus accusatores habuerit. Veruntamen cum ars medica secundũ partem, quæ de urinis est, manca quodã modo sit, ut nouimus, uisumq́; siqua inuidentium obiurgatio facta fuerit, ut illa despicienda sit; nunc uidetur decens

esse aggredi de urinis disciplinam pulcherrimam inter facultates maxime ratione pollentes, & nos ea ratione faciamus, hinc auspicati disputationem.

Quod tria sint statuta & prima principia humani corporis. Cap. III.

Tres uitæ partes principes.


Ria sunt, quæ uitam humanã stabiliuere, Cor, hepar, atque cerebrum. Corq; potius prin-
1 cipale cæteris est, atq; thesaurus naturalis caliditatis, ac ipsius roboris uitalis. Item affectus per quamcunq; causam ei accidentes, significat per arteriarum perpetuam motionem, atq; nihilo minus cæteras passiones existimandas, quæ in diuersis corporis partibus
2 fiunt. Hepar uero secũdæ dignitatis existit: naturalem calorem proficiscentem à corde, plus participat quàm aliæ corporis partes, idq; per uenam appellatam Cauam. Est principium uenarum, mutuatumq; est uirtutem effectiuam san-
3 guinis à conditrice natura. Præter hæc tertium est cerebrum: quod corpori & motionem, & sensum, atq; uim imperan

di

di ſuppeditat. Quinetiam communicãt ſe hæc tria atq; mutuo afficiuntur à paſſionibus, perinde ac unus eſſet in eis conſfluxus, & una cõſpiratio. Nos uero prælegimus potius de uirtute ea, quæ in hepate eſt, diſputare.

De apparatu ſanguinis, atq; reliquorum humorũ, in quo & de urinæ generatione. Cap. IIII.



SI hepati ſorte quadam à natura tributa ſit uis effectiua ſanguinis, urina extitit ſanguinis colatura. Veruntamen ut clarior ſit ratio, decet diſputare prius de ſanguinis apparatu, deinde de ſero eius. Siquidem cibo alterato, & concocto, tam meſaraicæ uocatæ uenæ, quæ originem ab hepate per ramalem ita uocatam uenam ſumũt, quàm quæ poſt meſaraicas ſunt, inteſtina cibum ipſum exugunt. Illæq; ueluti emulgunt id quod prius eſt. Et tanquam colarent, cibum chylifactiuum attrahunt, traijciuntq; ipſum ad loca caua hepatis, eumq; uirtuti ſanguinis effectiuæ præſentant. Atq; ſi nihil illic *Vrinæ definitio.*

impedimenti acciderit, in sanguinē chylus is alteratur. Cuius quantum subtile & facile transiens fuerit, id omne uesica bilis excipiens (quæ ad gippum hepatis iacet) exugit atq; attrahit ad aliquā, ut arbitror, utilitatē: perpauco tamen eius excepto, quod ob aliā quandā utilitatē exactā illā uesicæ exactionē separationēq; diffugit. Si quid uero terrestris & melancholici humoris genitū sit in sanguine, idipsum Lien, qui è regione adiacet, attrahit, naturalibus quibusdā tractiōibus unoquoq; id, qđ propriū est, attrahente. Tertiū uero, qui serosus humor est, relinquit. Veruntamē ibidē nō etiā sequestratur humor is, sed ad maius opus, & utilius seruat à natura: quādoquidē tā ratiōe, q̄ sensu cōpertū est sanguinē crassiorem esse ac ineptū ad penetrandas uenas paruas, hūc uero humorē serosum, & facile transeuntē extitisse: tū ob id natura indiscretū ipsum seruauit, tū etiā qđ ipsa erat de cōcauis hepatis partibus ad cōuexas chymū trāsmutatura, & uenæ cauæ coniunctura, ducente seroso humore. Quæ

Omnis enī cibus partitur in excrementū & nutrimētū.

Lienis officium.

deinde

deinde cõiunctos humores parũ altera-
uit in uenæ Cauæ ramo, qui à figura la-
bdæ græcæ literæ Labdæa uocatur: con
cessit renibus ut sequestrarẽt & traherẽt
serosum humorẽ. Quantũ uero sangui- *Sanguinis*
nis restitit, id ꝑ uenã labdæã atq; amplã *per corpo-*
cordis cæteris, quæ deinceps sunt, uenis *ris partes*
diuisum distribuit. Sanguis uero q̃ hinc *dispergẽdi*
ad profundiora loca corporis cõcedens *generatio.*
cogit̃ à quarta sic uocata cõcoctione in
alteratione carnis, nõ etiã priorẽ quã ha
bebat rubedinẽ seruãs, sed decidẽs in di-
minutã albedinẽ: quãdoquidẽ eiusmodi
cõcoctio ad ualde remissam rubedinẽ, q̃
sanguinis color est, ac ad eã quæ carnis
est, trãsponit. Hic eñ est finis nutrimẽti
atq; reliqua enumeratione similariũ par
tiũ extitit. Et quantũ cõgruẽs, atq; purũ
illic est ingenitũ, id rori persimile fit per
secretas naturæ dispẽsationes. Qm̃ uero *Digestiõis*
decet ut illic etiã superflua cõgerãtur ob *quartæ quæ*
exactum officiũ eiusmodi cõcoctionis: *in mẽbris*
hæc cum & subtilia, et magis aëria sint, *fit superflui*
oportet ut ita dissoluta, per occultam *tas.*
spirationem abeãt sensum spiritus capi-
entia. Quinetiam quod aliquid est sen-

ſum noſtrum latens, idipſum quomodo etiã abeat, ratio ipſa ſola reddere poteſt.

De ſuperfluitatibus, quæ in unaquaq; con coctione ſequeſtrantur. Cap. V.


Vatuor ſunt (ut arbitror) con coctiones generales, quæ in diuerſis locis corporis fiunt. Prima in uentre agitur, ſecunda in ramali uena meſaraicisue, & in caua parte hepatis: quemadmodum tertia in curua hepatis parte, ac uenis, quæ hĩc deinceps proficiſcuntur. Vltima in extremis corporis terminis, & in illis fit appoſitio quædam & compago, atq; ſimilatio. Harum concoctionum primæ ſuperflua ſunt, quæ per os emittuntur, atque per uentrem deſcendunt. Secundæ uero humores ſunt alterius ſpeciei. Tertiæ ſunt urina, & quæ urina ſubſiſtentia continentur. In ultima & quarta ſuperfluunt, tam ea quæ latenter & per ſpirationem abeunt, cum ſubtilia ſint, quàm quæ ueluti efflore ſcant, cum ad cutem promoueãtur. Cum igitur cõcoctiones hæ proprium munus complent, tũc uri-

Quatuor digeſtiones & earundẽ loca.

næ

næ congruum colorem, atq; ſubſtantiã oſtendunt: & contenta proprium locũ habentia, & lenia, & æquabilia conſpe-ctãtur. Inquit Hippocrates: Vrina optima eſt illa, quæ albam, & lenem, & æquabilem hypoſtaſim habet. Item alij quidã perficiendo definitionem dixere: Vrina optima eſt, quæ ſit hominis ſecundum omnia tẽperati, ac magnitudine reſpondente ei quod bibitum eſt: colore ſubaureo, uel ſubcroceo: hypoſtaſi uero alba, leni, & æquabili. Nanq; per quaſuis cõcoctiones contigerit ſanguinem aberrare ab eo quod decet, urina etiam manifeſte tranſmutatur, atq; per quas cauſas tranſmutata ſit, indicat inuenire. Siquidem humoris, qui in uenis eſt, per totũ corpus concedentis ſuperflua quæ ſequeſtrantur, apparent in matellis. Decenter hæc certo oſtẽdere poſſunt quo modo peccatum eſt in concoctionibus, ueluti clare res apparet in hulceribus. Nanq; ſi albus & lenis, & parum uel nihil olens fluxerit pus, neq; quicquam diuerſi generis continuerit, demonſtrat bonam

Tum alibi, tũ præcipue libro præſagiorum 2.

Coctionis probæ exẽplum.

bonam hulceris fieri concoctionem. Si uero quicquã horũ defecerit, indicat cõcoctionẽ peccasse ita, ut hinc liceat cõiectare, si quid malignitatis subiuerit hulcus, aut si retardetur, aut nigrescat, aut aliud quicquã aut maius, aut minus patiatur, æque respondens peccato concoctionis. Ita in urinis uidere est. Nanque quantitates urinarum, si minus seruarint proportionem, etiam substantiæ diffugere moderationem. Colores uero si susceperint tincturæ intensionẽ, uel remissionem, & contenta neq; coniunctionẽ, neq; colorem, neq; locũ, neq; lenitatem, & æquabilitatem seruauerint, decenter significauerint effugisse naturæ statutum, & moderationem ipsam, atq; nocumentum aliquod factum esse in corpore. Siquidẽ magnas intemperaturas similarium, & officialium partiũ, & opilationes, & intensos humores, concoctionesq; & cruditates, atq; reliquas quasq; non cõtemnendas passiones urinæ ipsæ demonstrant illi, qui disciplina iam inuenta sciuerit uti.

Aduersus

Aduersus eos qui opinantur inutilem esse considerationem, quæ fit ab urinis. Ca. VI.



SVnt qui considerationem de urinis, ut rem inutilẽ aspernãtur, contendentes nihil cõferre uel ad iudiciũ, uel ad præuidentiã, ubi uel ouiũ, uel equorum, uel canum, uel aliorũ animaliũ urinis imperitos deceperũt. Nos aduersus eos hæc paucula ubi dixerimus, reliqua deinceps explicanda aggrediemur. Igitur si urinam esse colaturã sanguinis dictum sit à uiris circa res has sapientibus, alia plura uero & quæ memorata sunt animalia sanguea natura existunt, quid mirandi erit si & urinæ horum animalium ad urinas hominum mutuã quandã rationẽ habuerint? Ea certe ratione urinæ hominũ, & animaliũ illorũ inter se differre poterũt, qua nõ eandẽ cõcoctionẽ in omnibus fieri cõtigat, præsertim si neq; alimẽta, neq; exercitia, neq; genuinæ uires, et tẽperaturæ omnibus eædẽ affuere. Neq; mirari id oportet in ijs animalibus quæ specie differũt, cũ uel maxime animaliũ

eorundem ſpecie, atq; ſanorum urinæ multo differentes inſpiciantur ob differentias temperaturæ, & alimentorum, & ætatum, & conſuetudinum, & locorum, & eorum quorum aliquod conſueuit alterando inducere diuerſitatē. Nā interdum urinæ, quæ in quibuſdam ſanis cernuntur, in aliȷs ægrotantibus ſpectātur. Senum quoq; urinæ, ſi in pueris aſpiciantur, demonſtrant hoſce minus recte habere: & quæ puerorū ſunt, in ſenibus ſi apparuerint, oſtendunt in eis ſanitatem turbatam eſſe. Quinetiam in ægrotantibus multas differētias uideris, ſecundum qualitates ipſorum accidentes. Quamobrem patet, ut interdum cō tingat, animalium irrationalium urinis ſimiles eſſe urinas male ſanorum hominum: quemadmodum ait Hippocrates de conturbatis urinis hominum, quæ ſimiles ſunt urinis iumentorum. At uero ipſe aliquando decreui de urinis, quæ uidentur in animalibus nobis conſueſcentibus tractare, ne ab ȷs qui perquàm facile eiuſmodi obiectiones machinantur, deci-

Vrinæ quādoq; eædē, ſed genere & ſpecie differentibus egeruntur.

Hippocra. Apho. 70. libro 4.

deciperemur, ueruntamen uideremur mutuo colludere. Collusio uero eiusmodi aduersus homines super natura stupẽtes usquequaque inoportuna existimatur. Inanis equidem opera foret, si quisquã niteretur ab eiusmodi ineptijs artẽ commendare: præsertim si intellexerit, ut possint ob aliquas affectiones spectatu consentire urinæ brutorum cum urinis humanis. Ergo eiusmodi inoportunam orationem superfluam esse putans, atque decentia pronuncians ijs qui nituntur ludere super rebus grauibus non ludibrijs, de hisce alia dicere prætermisi. Sequens est, ut eò redeat unde discesserat disputatio.

Quod nihil è significantibus passiones, sufficiẽs sit ad uniuersam considerationem de passionibus. Cap. VII.



Vpienti uel iudicare, uel prædicere ægritudinum accidentia, nõ solum opus est cognoscere urinarum differentias, etiã ubi ipsæ urinæ solæ satis esse uidentur ad faciendam considerationem de

Vrinæ iudicium per se signũ fallax & infidũ.

passionibus non contemnendis, uerum etiam pulsus ipsos tangere, atq; egesta spectare, & motionem respirationis, & posituram faciei, & corporis totius accubationem, atq; linguæ prolationē: ut horum unoquoq; proprium munus suppeditante, non etiam existimatis ipsis, qua mutuis afficiantur affectibus, reddi possit certum iudicium, & præuidentia certa. Pulsus enim primum uim caliditatis & frigiditatis in spiritibus indicant. Vrinæ uero demonstrant quantitatem, & qualitatem humorum. Egesta ostendunt uentris concoctiones, & cruditates. Orationis enim pronunciatio testatur actionem uirtutis rationalis. Qualitates insuper accubationis totius corporis, ac faciei affectus alia quædam tibi demonstrant, ueluti ex alijs libris cognoscere est. Quandoquidem neq; pulsus ipsi omnes passiones, neq; egesta, neque urinæ, neq; alia quæ reperta sunt ad faciendum iudicium de passionibus nos occupantibus, detegunt. Sed horū alia alijs promptiora ad cognoscendas ægritudines

tudines. Et quantum ad uniuersalẽ passionum considerationem faciẽdam, contẽplatio de urinis creditur esse post pulsus, quantum etiam post spiritus humorum substantia per omnia transit, eo tutior & promptior disciplina de urinis quàm quæ de pulsibus est, extitit. Nãq; de urinis disciplina omnia sub oculos exposuit: illa uero rem omnẽ tactui cõmisit. Et forte facilius est uisu quàm tactu iudicare, & prorsus exactam cognitionem capere. Quare promptius urinarum doctrina diiudicabũtur passiones. At uero diiudicaturo passiones per pulsuũ tactus, opus est puro intellectu, atque manus optimo sensu, & attentione summa, ut diligenter metiri ualeat motionum spacia, atq; quietum, & spaciorum tempora, & intercedentes spissitudines, & quæcunq; de pulsibus disciplina pertractat. Quæ quidem etsi exacta sint, & suscepta ad iudicandas ægritudines, tamen difficilia captu sunt. Verumtamen illum qui utramq; cognitionem de pulsu & urina calluerit, aut nihil, aut

Vrinæ iudicium pulsus præsagio, tutius.

perparum fugerit quod & ad iudicium & præuidentiam conducit. Sicuti illum qui altera disciplina sine altera utit, multi sequuntur errores, nihilo minus conferente disciplina de urina ad iudicandas ægritudines q disciplina de pulsibus. Sed tamē hæc eo pacto iacta sint. Nunc uero cū proposuissemus de urinarū differētijs disputare. Primū de differētijs colorū facta disputatione: deinde de reliquis dicemus, ueluti quæcūq in urinis inspectant. Quot igit species colorū in urinis sigillatim appareant, nō facile est docere, quod plurimi colores ob quasdā humorum mistiones, atq concoctiones inspiciuntur. Licet tamen ex his principales species ratione definire, ut à quibusdam definitis signis etiam cæteros colores cōiectare, qui definiti ratione hactenus nō sunt, defectu nominū propriorū

Colores urinarum tradere exacte, difficile.

De differentijs colorum, qui in corpore urinæ uidētur. Cap. VIII.



VRin arū aliæ sunt albæ, aliæ spiceæ, aliæ aureæ, aliæ croceæ, aliæ rubeæ, aliæ uineæ, aliæ passeæ,

ſeæ,aliæ uenetæ,aliæ nigræ. Nec in hiſce omnes ſpecies colorum ſitæ ſunt, ſed etiam in horum mediis, & ſubmediis, tanquam hinc plures eſſent introductæ colorum ſpecies. Albarum uero urinarũ aliæ ſunt cryſtalleæ, aliæ niueæ, aliæ ut aqua pura, & hæ ipſæ ſunt ſummæ cruditatis. Quoniam uero colorum genera capiunt intentionem & remiſſionem, quæ memorata ſunt, albedinis intenſæ habentur. Poſt hæc referamus, quot ſint albedinis remiſſæ. Nanq; à ſumma albedine remiſſus color extitit lacteus, ita uocatus, quod ſimilis eſt lacti, qui melior eſt aqueo, & cryſtalleo. Et albedo glauci tantũ receſſit (eſt em̃ fortaſſe poſt lacteum) quantũ charopus remiſit albedinem glauci. Nam glaucum eſt ueluti cornu pellucidum: charopũ uero quod ſimile eſt pilis ſubalbidis cameli, uel ungui lapillo ſic appellato. At uero poſtq̃ aliquam tincturam urinæ capiunt non paruo à cruditate ſecedentes, primũ ſubſpiceæ exiſtũt, deinde ſpiceæ, ita ut illæ uideãtur ſimiles bilæ infuſæ humori, ac

Albarum exquiſite urinarum ſpecies.

mediocriter decoctæ: hæ uero bene decoctæ. Quod si cupieris aliam cōparationem, illa hæc est. Puta humorem corticis, & cici mali punici decocti. Neq; cōtendam de succis perquam similibus, & de nomine spicei coloris, quod ob cōsuetudinem neminem fugit. Igitur si parum eiusmodi spicei humoris expressi inieceris succo alicui claro, ut aqua: feceris subspiceum colorem; & si plus addideris ex eodem, effeceris colorem spiceum: quorū alter ab altero capit appellationem. Porrò cū concoctio processerit, tum tinctura plus colorabit spiceū, atq; suffuluæ siue subaureæ dicas, urinæ (quas mediocres, & temperatas esse inter omnes ratione cōpertū est) gignuntur, quæq; non usquequaq; similes sunt puro auro. Post hasce, urina est aurea, sed fulua uocata, quæ potius sonoro ac puro auro similis est. Discere poteris id ipsum, si uacaueris auro: cōsuetudinem habendo cum diuitum dispensatoribus, Subcrocea uero urina post hasce collocēt, quæ colore similis est cartamo. No

Spicei & subspicei coloris qualitas.

Subaurea.

Aurea.

Fulua.

Subcrocea.

uerunt

uerũt quãplurimi florẽ herbæ huius uo-
catæ cartami: qui colore inferior eſt flo
re croci. Quamobrẽ hinc oportet ratio-
cinari de colore ſubcroceo. Quæ urina
uero eſt exacte crocea, hæc nihilo differ
re uidetur à croco Coriceo: cum omnes
croci aliorum locorũ differant præſtan-
tia coloris à croco Coriceo. Veruntа-
men ne fallaris, opinatus crocum, quem
nondum uidiſti, Coriceum ualde differ
re colore à reliquis crocis; ego loco hu-
ius tibi propono crocũ qui ab Atho de
fertur. Cuius colore duce tu procedas.
Cæterum nec te oportet animum inten
dere in colores, qui apparẽt in cartamo,
& croco: non enim paruo aberraueris.
Subrubei enim, & rubei illorum colo-
res exiſtunt. Sed intendas in colores il-
lorum, cum eorum flores fuerint aqua
diſſoluti. Sequuntur haſce, urinæ
ſubrubeæ atque rubeæ: quibus ſatis fue
rit ut præſentẽtur colores qui apparent
in cartamo & croco, ut dictũ eſt. Poſſes
etiam id diſcere, ſi ſubrubeum colorem
eſſe ſimilẽ intellexeris armenico bolo,

Crocea.

& Lemnio sigillo, Rubeum uero & puniceum similem cogitaueris illis pomis quæ rubeum colorem præ se ferunt, ueluti cerasis, malis, & aliis id genus: quæ lenitate corticis, & maturatione, & coloribus differre uident. Vrina uinea memoratis succedit, quæ nomen id accepit à uino quàm rubrum est, nigriore, existitq; ueluti colore hepatis. Quamobrē oportet hæc scientem interdum inspicere hepar animalis rationalis, uel irrationalis: interdū eiusmodi uinum bibere: deinde ubi uiderit, cōsiderare de uineo colore. Memini sæpenumero eiusmodi uinū in foro uidisse à mercatoribus cōuectum, quod adeò erat uineo colore perfusum, ut cados etiam quibus uectū fuerat, proprio colore affecisset. Quin etiam parum eiusmodi uini plurimæ aquæ mistū etiam rubicundo colore spectatur. Passeus uero color est, qui ex intensione uineo præstitit, maxime similis passo: quod ex uua nigra decocta fieri nouit unusquisque. Hoc pacto habet: & si sint qui ambigunt passum etiam fie-

Vinea.

Passea.

ri

ri musto decocto usq; ad tertiam partẽ. Adde quoq;, ut clarior notio fiat, cerasi fructus colorem, qui ad nigredinem inclinat. Iam uero ubi de passeo colore nouisti exacte, nunc reliquos disce. Venetus uel cæruleus dicas color, omnibus, ut arbitror, notus est, qui ex puro albo, atq; nigro æqua ratione confusis gignitur. Etsi idipsum etiã sensu uelis nosse, cerussam uel lectissimam calcem, uel aliquod aliud simile attramento, uel pici, uel bitumini, aliis'ue puris nigroribus si miscueris æquis ponderibus, uenetum colorem eo modo productum uideris. Veruntamẽ de uiridi colore ubi primũ hoc modo disputarimus, & de oleaceo & liuido, deinde de nigris dicemus. Viridium igitur colorum alius est, ut qui in foliis brassicæ: alius, ut qui in foliis graminis: alius, ut qui in foliis uiolæ herbæ: alius, ut qui in smaragdo, ita ut ex his acceperint appellationem. Discere ergo oportet colores hos è rerum illarum coloribus, illos hisce similes reddendo. At uero oleacearum hoc modo generi cõ- *Veneta & Cærulea.* *Viridis.* *Oleacea.*

muni appellatarum urinarum, alia appa rentiam habet olei, alia est olei coloris, alia oleacea est, quæ generi cognominis est. De colore uero primæ speciei, an aqueus, an oleaceus sit, ambigitur, ob tenuitatem coloris tingẽtis humorem. In secunda uero specie color olei euidens est, utcꝫ intẽsus sit color. Oleaceam uero urinã quæ tertia est species ratio certa definiuit, ut colori olei similis sit. Sed tamen hæ species nõ sunt crassæ substantiæ & coloris intensi, sed potius sunt substantiæ subtilis. Quæ uero sunt intensi coloris, illæ potius congruunt cum speciebus quæ sub genere uiridiũ collocantur. Quoniã uero sufficiẽter dictũ est super differẽtijs uiridiũ & oleacearũ urinarũ, consequẽs est dicamus etiã de liuidis & nigris urinis apparẽtibus. Liuidum

Liuida. igitur colorẽ esse plumbi colorẽ siquis dixerit, is apposite rem aperuit. Quare & ab hoc ipso oportet de illo considerare. Veruntamen tantum uersus nigrum inclinauit liuidum, quantum à colore ueneto recessit. Quamobrem si dupla non

non æqua ratione nigra se habebunt ad alba in mistione: hinc exacte cognosci possunt, quæ sint liuida. Atque ita eiusmodi liuida se habent. Nigros uero colores nemo, ut arbitror ignorat, qui cunctis euidentes sunt. Porrò confert uiro indulgenti eiusmodi rebus, considerare memoratos colores, eosque in tabellis ordine describere, cum in eis non pauca iudicia, & præuidentiæ rationis sint pronunciandæ. Considerare quoque oportet colores qui definiti non sint eo, qui careāt nominibus proprijs: an remissi, an intensi sint uersus colores qui definiti sunt, ubi aliqua cognitione concepti sunt. Nigra.

Quamobrem ubi hactenus de omnibus coloribus definitum sit erga peritos, nō opus est lōgiorem sermonem facere de differentijs colorum: fundantibus enim disciplinæ partē, si explicata sint ea quæ decent artem, hæc satis sunt. Et sæpe si quisquā nō oēs colligēs dixerit colores, qui possunt constitui: illi tū qui collecti sunt, satis esse possunt ad disciplinā usurā eis. Eo itaque pacto finē sortiať oratio,

quæ

quæ eſt de differentijs colorum urinarum. Veruntamen hic confert diſputare de differẽtijs ſubſtantiarum, quæ ſunt corporis ipſius urinæ.

De differentijs ſubſtantiarum ipſius urinæ. Cap. IX.


Rinæ in matulis emictæ oẽs ferè ſubtiles apparẽt, eatenus etiam calidæ manẽtes. Calor enim naturalis eatenus præſtans, non ſinit ut flumen ipſum, quod urinæ corpus eſt, cogatur atq; craſſeſcat per aliquam occaſionem. Veruntamen calore eo abeunte, aliquæ urinæ uelociter, aliquæ tarde craſſeſcunt. Quemadmodum aliquando aliquæ craſſæ minguntur, aliquæ contrà ut mictæ ſunt ita manent. Craſſeſcentium uero aliquæ tenuantur, aliquæ indiſcretæ, ut à principio erant, manent. Quinetiã huiuſmodi craſſeſcentium aliæ perquàm mediocriter craſſeſcũt, ueluti eſſent turbidæ, aliæ magis craſſeſcũt, aliæ plurimum. Oportet etiam differentias, quæ in hiſce ſecundum magis, & minus ſunt, intelligere.

Quæ uero tenuãtur: aliæ, quod craſſius continebant, id in fundum matulæ colligunt: ſed ipſæ etiam craſſæ reſtant, aut turbidæ, aut temperatæ, & ſubtiles remanẽt, craſſitudine tota in fundum concedente. Quamobrem oportet diligenter etiam capere differentias harũ, quæ non parum conferent diſputationibus, quæ de iudicio & præuidentia habebuntur. Eodem modo oportet diſcere differentias urinarum ſubtilium, tanquã non omnes eadem ſubtilitate conſiſterent, ſed earũ alias ualde ſubtiles eſſe, nihilq; differentes ab aqua tenuiſſima, alias ab huius ſubſtantia diſceſſiſſe. Quinetiam alias ſubtiliores eſſe, alias declinare ad temperatam conſiſtentiam. Atq; ex his ſufficienter dictum eſſe de differentijs ſubſtantiarum exiſtimari poteſt.

Aduerſus eos qui opinati ſunt, cauſam qua craſſeſcunt urinæ, eſſe à frigore foris aſſiſtente. Cap. X.



Voniã ſunt aliqui imperiti circa urinarum ſubſtãtias, qui craſſitudinem earum, non proprio aliquo

aliquo uno affectu ex eis quæ urinis con gruunt, accidere opinantur, ſed potius à frigore foris aſſiſtēte id fieri credūt, ma xime ubi uiderint mictas urinas ſubtiles paulòpoſt craſſeſcere. Idcirco aduerſus eos cōuertenda oratio eſt, eorumq; de ceptio demonſtranda. Aiunt ſecedente calore ab urinis, frigidum uincēs, quod foris eſt, ipſas craſſas facere. At uero id tātū abeſt à ueritate, ut ab ijs quæ quoti die cernuntur, cognoſcere ſit eorū igno rantiam: uidelicet cum ſemper urinæ obiectæ ſint aëri frigido foris manenti, non ſemper craſſeſcunt. Ad hæc decens eſt, aliquando urinas craſſeſcere, cū con tinens aër fuerit perquàm frigidus. At ſi urinæ ſub dio etiam pernoctauerint, for taſſe gelaſcent potius quàm craſſeſcent. Adde ſi urinæ ad occurrens frigus ſem per craſſeſcerent, ob caliditatem conti nentis tenuari poſſent. Sed tamen uide re licet hyeme urinas ſubtiliſſimas mane re, nec unquam ab externa frigiditate ſuperari: & æſtate, craſſiſſimas, nihil diſ ſoluente aëris æſtu. Quinetiam quid di

Vrinæ hyeme lympidæ, æſtate contrà.

xerint

xerint hi oculati urinarum spectatores, ubi hodierna uiderint eandem urinam subtilem, crastina crassescere eodē continente utriusq; diei constituto? At uero quonā pacto poterint præuidere, quidnam sibi uelit ea substantiæ mutatio, & quas ob causas fieri contingat? Mihi uidentur multum delirare, secedentes à ueritate. Et quibusnam signis in urinis nouerint multitudinem humorum, aut eorum crassitudinem, aut concoctionis principium non potentes in totum definire super urinarum crassitudine? Præter hæc, eorum rationem stabilire conati sunt, matulam in aqua calida ponentes, eamq; perbreui calido affectā ostendunt subtilem reddi, nequeuntes intelligere, ut nihilominus naturali calido artificiale ualeat urinas dissoluere, siquando crassitudinem cōtineant. Sed ne hoc quidem quicquam duarum matularū in eodem aëre manentiū alterā crassescere alterā ita etiā persistere tenuē, ut erat, uidere est? Quisnam huius reddere poterit aliquam rationē, nisi eam quā nos suo

in loco reddituri ſumus? Siquidem ſi aëris continentis frigiditatem cauſam faciant, uereor ne conuincantur, decepti ab altera matula quæ ſubtilis remanſit. Veruntamen cum illa, quam dicturi ſumus, cauſa ſatis eſt fortaſſe ad redargutionem iſtorum, uideri poterit hactenus dictum eſſe ſufficienter. Nos uero redeuntes eò, unde digreſſi ſumus, dicamus. Cum igitur demonſtratum ſit, ut urinarum aliæ ſint craſſæ, aliæ tenues, aliæ mediocres, diuiſerimusq́ue has ipſas ut decẽs erat: nunc operæprecium fortaſſe erit, ut de differentijs eorum quæ in urinis inſiſtunt, diſputemus.

De differentijs colorum earum rerum, quæ in urinis continentur. Cap. XI.


Rinarum, quæ ſecundum naturam ſunt, contenta ſi alba et lenia & æquabilia fuerint, atque ſubſtãtia mediocri, & ad fundum matulæ conceſſerint, tunc tertia concoctio ſecundum naturam perfecta eſt. Veruntamen ſi contenta ea exceſſerint, uel defecerint ab eiuſmodi indicijs

Vrinæ contenta ſecundum naturam qualia.

dicijs quæ certa sunt secundū naturam, etiam sanitas deprauata esse demonstratur. Dicendum ergo primum de coloribus quos in hisce esse contingit. Deinde de reliquis congruente oratione tractandum. Igitur contentorū alia sunt colore mediocri, quæ secundū naturam subalbida esse uolūt. Alia decidentia ab hac ipsa mediocritate: quorum alia sunt intensa albedine, alia uero subspicea, atque spicea, alia uero procedentia, magis colorantur, adeò ut uideantur bilea, atq; orobea, etiā subrubea, & rubea, et cruenta, & umbrida, & ueneta, atq; nigra. Hi ipsi, & huiusmodi sunt colores cōtentorū in urinis. Sed tamen ex hisce, oportet cōsiderare de alijs coloribus qui nūc dicti nō sunt, qua ratiōe in capite De differentijs colorū corporis urinæ disputauimus. Sed de differentijs colorū contentorum quàm breuissime fieri potuit, sic dictum est: nunc de eorum substantia dicemus.

Contentorū colores.

De differentijs substantiæ contentorum in urinis. Cap. XII.



Ediocritatem substantiæ cõtentorum in urinis, qualis sit, experientia docuit. Sed ut ratione quoq; definita sit, hoc pacto dicimus de substantia mediocri contentorum. Contenta quæ mediocri sunt substantia, crassiora sunt ipso humore toto urinæ: ob hanc enim rationẽ manifestũ uisui extitit, nec ita habet ut sic uisio transeat per ipsum contentum, ut transit per humorẽ urinæ. At uero quia de mediocri substãtia humoris urinarũ superius orationem audiuisti, licet iam tibi (tanquam facto principio à certo signo) posse et tenuia & crassa cõtenta cognoscere, quamuis decentia explicentur à nobis hoc pacto. Tenuium contentorum quæ magis cõsentiunt cum colore corporis urinæ, ea minus apparent, quàm quæ magis discrepãt à colore corporis urinæ. Quare oportet etiam hoc pacto ratione definire. Nanq; horũ ipsorum quædam paruo decidere à medio-

Exilia contenta, urinæ colori similia, minus conspicua.

crita,

critate, quædã magis, quæ iam & ipsas urinas quisquã facile tueri poterit; quædam uero plurimo decidũt, quæ uix etiamsi radium solis per matulam traieceris, uid re poteris, Contentorũ autem quæ uersus crassitudinem à mediocritate uergunt, quædam paruo crassiora uidentur, ita ut non facile uisus ea penetret, quædam magis uergunt, ita ut uisus in ipsis terminetur: ratione uero putatur plus etiã crassitudinis inesse. Quædam etiam plurimũ uergũt. Nihilo minus tamen quàm uisus ratio ipsa terminatur: non enim possibile est crassitudinem maiorem reperire illa quæ in contentis est, quæ per substantiã similia sunt puri. Scire autem oportet hæc nos dicere ea ratione qua diceretur de omnibus contentis, siue hæc fuerint tertiæ concoctionis, ueluti superfluitates: siue humorum crudorum segmenta, siue pus, siue internorum uasorum frustula. Iudicia nanq; de ipsis (concedente Deo) suis in locis referemus. Nunc uero quæ deinceps sequuntur, per seriem dicamus.

De differentijs locorum contentorum in urinis. Cap. XIII.



Ltitudine corporis urinæ trifariam diuiſa, ut in fundũ & imam regionem matulæ, ſuperficiem ſupremam'ue regionem, & utrarunq; harum extremitatũ medium. Ea igitur contenta quæ in fundum matulę deſcendũt, hypoſtaſes, hoc eſt ſubiecta uocauere qui circa res haſce prudentes fuerũt, à uerbo ὑφίσασθαι hoc eſt ſubijci, uidelicet præpoſitione ſub, ſignificante infernam habitudinem. Quæ uero conceſſerunt ad medium totius altitudinis, appellauerunt ἐναιωρήματα hoc eſt ſublationes, uel dicas ſublimia, arbitror deriuantes ab elatione, tanquam æquo ſpacio ſecederent ab utriſq; extremis. Quæ uero peruenerunt uſq; ad ſuperficiem uocauere nubes, tanquam à terra ſumme ſecederent, putantes fundum matulæ proportione reſpondere ipſi terræ. Quoniam ad ipſum fundum grauia deſcendunt. Cõmuni & generali nomine hæc omnia παρυφιστάμενα hoc eſt

Hypoſtaſes *Enæoremata* *Nubes.*

est contenta dicta sunt, eò quod in quali bet altitudinis parte corporis urinæ insi stant, & contineantur. Atq; eo pacto de loco cōtentorum rationem iam pridem medici diuiserũt, tanquam principia po nerent earum quæ in arte medica sunt contemplationũ. Sed tamen licet quoq; diuidere rationem de loco hoc pacto. Quæ diuisio multum conferet & ad iu- dicia, & præuidentias. Igitur hypostasi- um (uti autem oportet hoc modo posi- tis nominibus) aliæ occupauere locum inculpatilem, cum neque totæ tangant fundum matulæ, neq; abiungantur ab eo. Aliæ uero quæ proprium & incul- patilem locum prætermisere, quæ quo- que diuiduntur ratione. Nanq; earum aliæ totæ hærent fundo, aliæ minus, ac plus quàm eis conueniat abiunguntur, ueluti definitum locum fugere experi- rentur. Sublimium uero quæ exacte me dium locum totius consecuta sunt, hæc exactam rationem sublimitatis adepta sunt. Quæ uero siue inferius, siue superi us quàm mediũ est, manserint, hęc quo-

Contenta.

Hypostasiũ p locos differentiæ.


Sublimium contentorũ tres regiones.

que sublimia appellata sunt abusu nomi nationis, nam ab utrisq; extremis secesse runt. Plurimum uero conferre reperiun tur disciplinæ quæ de urinis est, eiusmo- di definitiones. Quamobrem oportet ut putemus tres esse sublimium locos. Nu bium autem aliæ paruò citerius, superfi cie urinæ manent, aliæ ad ipsam superfi- ciem hærent. Quoniam uero nubes hæ tertio loco indiguerunt (nanq; nõ licue- rat superius cõcedere deficiente humo- re, & corpore urinæ) tanquam necessi- tas cogeret respondere è regione fundo matulæ, præ uiribus sibi agnatæ sunt: perinde ac cum experirentur medium ipsarum, & superficiei locum delere, ita exacte ubi terminauerint humoris alti- tudinem, hæsere superficiei urinæ, ut po lypi lapidibus exacte (ut aiũt) adhærent. Quoniam igitur demonstratum est, tres locos generalissimos cõtentorum esse, quorum singulos in ternos nos diuisi- mus, accidit ut omnes sint nouem, quos bene cognoscere discentes oportet, nã- que magnopere utiles sunt. Veruntamẽ

Vrinæ cõtẽ torũ loca.

ut clarius cernere poſſis id quod dictũ eſt, omnem rationem de locis contento rum per hoc exemplum ante oculos po no. Intellige altitudinem undecim digi torum, uel cubitorum, uel paſſuum, uel cuiuſuis menſuræ, & puta eorũ quatu- or eſſe in loco capiente hypoſtaſes. V- num in confinio hypoſtaſium & ſubli- mium, ita ut ſit poſt finem hypoſtaſium & ante principium ſublimium. Simili- ter alterum in cõfinio ſublimium, & nu bium. Item duos alios in loco nubium, & locus mediocris nubium ſit ultimus, ac undecimus digitus, qui uero ſubdi- tus ei eſt, & ueluti ab ultimo deciderit, ſit decimus. At qui plurimum ſubierit, atq; in fundo uice uerſa ſe habet erga ul timum, is ſit primus. Locorum uero hy- poſtaſium exacte proprios locos haben tium, tertius digitus ſit. Sed ſupernarũ hypoſtaſium locus ſit, quartus digitus. Inferius medio ſubſidentium ſit ſecun- dus. Quinetiam in ſublimibus, qui uſ- quequacq; medius eſt, is ſit ſeptimus di- gitus. Sicuti ſuperiorum ſit octauus. In-

feriorum ſit ſextus. Nanq; quintũ & nonũ digitum nõ occuparunt unq; cõtenta. Sũt enim terminatiões po-



tius quàm loca cõtentorũ in urinis. Vbi uero oratio de locis contentorũ sufficienter facta est, eo pacto maneat: quam unusquisq; etiã à formula hic descripta discere poterit, nũc reliqua explicemus.

De lenitate, & oppositis contentorum in urinis. Cap. XIIII.



Ontenta urinarũ quæ secundum naturam se habent, præter alias proprietates, definitum est lenia esse. Primum dicendũ est, qualia sint eiusmodi lenia. Deinde quæ sint hisce opposita. Lenia igitur contenta sunt, quæ continua sibi sunt, & tanquam unum ueluti continuum, & coactum corpus, neq; aliquo modo sibi rugosum, aut huc & illuc cõpulsum, neq; dissolutũ aliqua in parte. Hoc modo se habet secundum naturam lene contentum. Eorũ uero, quæ non eo modo se habent, alia auxerunt continuitatẽ usqueadeò ut tenacia euaserint, alia uero continuitatẽ disciderũt, ita ut reddita sint aspera. Atq; tenaciũ cõtentorũ alia modice, ita affecta sunt, adeò ut ualde

Cõtenta naturalia.

Tenacium contentorũ diuersitas.

cõmotã matulã esse oporteat ut illa dis-soluant. Alia magis affecta, adeò ut ualde commota matula ipsa modice dissoluantur. Alia insuper usq; adeò tenacia, ut etiã siquid cõmoueatur, nõ facile dissoluant, cũ iã glutinea redacta sint. Cõtrà uero, asperorũ cõtentorũ alia ita modice affecta sunt, ut uisus capiat partes eorũ iam discretas. Alia magis affecta, ut uisus etiã magis capiat altitudinẽ, & latitudinẽ corporis urinæ. Alia uero plurimũ, ut uisus capiat omnẽ altitudinẽ, & latitudinẽ, atq; lõgitudinẽ magis capiat perinde ac esset in frusta incisa. Hoc itaq; pacto se habet oratio de lenitate, tenacitate, & asperitate contentorum. Oportet aũt studentẽ hæc discere, quoniã operam nauatam in hisce capiendis nõ parũ ĳs quæ sequunt̃, conferentẽ esse sentiet.

Aspera cõtenta.

De hypostasi orobea, furfurea, laminea, atq; similacea. Cap. XV.


Ost hæc decet dicere de hypostasi orobea, furfurea, laminea, ac similacea. Nanq; eiusmodi contenta appella-

rehy-

re hypostases cōgruit, cum semper fundum matulæ petant. Nanq; si contenta aliqua nō subsistentia, sed innatantia participauerint eiusmodi species, id nō ab eadem causa prouenit, ita ut ne easdem etiam passiones significauerint. At uero ubi prius de illis memoratis tractarimus, deinde de eorum similibus dicemus. Igitur hypostases orobeæ, etsi ab ipso nomine euidentes sint, nos tamen etiam declarabimus earū ratione. Nam unusquisq; nouit orobum inter legumina esse, qui etiā plærisq; in locis seri consueuit. Is si excorietur, uidetur rubeus, ita ut similis sit uitello rubeo oui. Cum igitur contenta urinarum his similia uideris, tunc oculis spectaueris hypostases orobeas. Nunc enim ueluti oratione sola res tibi depingo. Sed tamen hypostases hæ nihilo minus globosæ ueluti orobi sunt, ita ut hoc pacto intelligere poteris certò qua ratiōe se habeant. Furfureæ uero hypostases sunt, quæ uidentur similes furfuri bene moliti tritici. Hæ ita magnæ apparent, ut uere furfu-

Hypostases orobeæ.

Orobus leguminis species.

Furfureæ hypostases.

res credantur. Quamobrem discere con uenit ab euidenti rerum specie, quę hoc pacto appellant, ita ut nõ longius protrahatur oratio decens, ac si disceret ab ipso posito nomine. Lamineæ uero hypostases notæ sunt rationi: ipsæ quidem sunt similes laminis, sed nõ per longitudinẽ (hac enim potius uidentur dissimiles) sed similes sunt specie. Laminas uero nouimus appellatas esse, quæ & longitudinẽ & latitudinẽ habẽt, nõ etiã euidentẽ altitudinẽ. Eodẽ modo appellata sunt quædã instrumẽta à mulieribus inuenta ad lanificia opera. Quinetiã lapis quidã est eodẽ nomine uocatus Petalites, hoc est lamineus, qui concisus esse uidetur in eiusmodi laminas. Quamobrem ex hisce considerare oportet de laminea hypostasi. Sed reliquum iam est ut dicamus de hypostasi similacea, quæ accepit nomen à simila. Similas omnes nouimus uocatas esse quæ ex male molito tritico, ordeóue cribrata uidentur furfures. Quæ nanq; furfuribus sunt pleniora, hæ similæ uocantur, non ut furfures te-

Lamineæ.

Similaceæ.

res te-

res tenues, ſed ut triplicis ſpaciatæ. Et ob haſce, uocantur ſimilaceæ hypoſtaſes. Reſtat iam etiam docere de complicata, atque diuerſarum formarum hypoſtaſi, quas quiſquam non incongrue diſſimilares appellare poterit.

De differentijs eorum quæ complicantur in contentis urinarum. Cap. XVI.



Nterdum hæc ipſa uario modo apparent. Nam aliquando ueluti ſimilæ quædam deſcendunt cum contentis. Aliquando ueluti furfures, & ueluti laminea, atque orobea. Eſt aliquando uidere quædam cum contentis, ut capillos longos palmo, ac minus, & magis. Quinetiam aliquando uidere eſt ramenta quædã ſubrubea breuiſſima, atque hæc omnia nunc minora, nũc plura ſpectari ſolent. At uero quidnam unumquodque horum ipſorum ſibi uelit, in locis proprijs explicabimus. Sicuti & eorum cauſas in ijs, qui de cauſis, libris reddemus.

Cõtentorũ diuerſitas.

De differentijs eorum quæ innatant in superficie urinæ. Cap. XVII.


Vnc opreræprecium est ut dicamus de ijs quæ innatant in superficie urinę. Innatant igitur insuperficie urinæ bullæ, quæ etiã lampæ, hoc est spumæ, quæ in superficie uini insident, appellantur. Innatant quoq; liquamenta quædã. Veruntamen prius disputabimus de innatantibus liquamẽtis, deinde de innatantibus bullis. Apparent itaq; in urinis aliquando innatantia quædam ueluti araneæ, quales sunt maxime continuæ, atq; uelamini subtili similes, non quales sunt illæ quæ non omnino sunt continuatæ, sed cum super plures lineas plures transuersæ sint lineæ, & has siue rectas, siue obliquas secuerint lineæ ortæ à centro, atq; profectæ ad extermitates. Interdũ etiam est ut ferantur in superficie urinæ puncta olei, nunc pauca, nunc plura, nunc tenuia, nũc crassa ueluti in pingui iure refrigerato innatare uidentur, quæ res à multis appellata est spuma. Verun

Innatantiũ differentiæ

tamen hæc ipsa euidentia erũt alio in loco, ita ut de his plura nunc dicere non oporteat, Quinetiam interdum atq; circa coronam feruntur quædam ueluti lacerámenta uestis, & ueluti pilis contexta, quæ à Græcis ῥάκκια & τριχία uocantur: eadẽ sunt longe minora ijs quæ prædicta sunt, atque pleniora. Oportet etiam hæc ipsa prænosse discentẽ. Nanque paulò inferius in locis oportunis, re ipsa nobis obuiã faciente, de eis latius disputabitur. Nũc uero de bullarũ differẽtijs dicamus, ueluti in initio statuimus.

Corona urinæ superficies.

De bullarum differentijs, & definitione coronæ. Cap. XVIII.

BVllarum aliæ perquàm magnę solent esse, aliæ perquàm paruæ, aliæ mediocres. Item aliæ per omnem superficiem urinæ apparent, aliæ contrà in sola corona circumiacẽt, quæ aut in tota corona, aut in aliqua una eius parte, aut in pluribus partibus spargunt. Aut in corona, & media urinæ superficie iacent. Aut in altera sola medietate superficiei, aut in-

ordinato, ac alio modo, & complicato tam per superficiem quàm per coronã innatant. Quinetiam earum quæ in corona spectantur, aliæ singulæ, aliæ binæ iacent, aliæ ternæ, aliæ alio numero consistũt; atq; aut omnes propè pari magnitudine sunt, aut nõ omnes, quæ mediæ iacent. Eòdẽ modo se habent in ipsa planicie matulæ. Nanq; bullæ aut singulæ, aut binæ, aut ternæ, aut alio modo sociatæ innatant. At uero quod duo quędam nos latent, quæ minus exacte determinata sunt, nũc claritatis causa adiịcimus. Quorũ alterũ est circa bullas. Siquidẽ uideri poterit cuiquã quæ dicta sunt, audienda esse de innatantibus bullis, quæ simul fiunt cum urina quũ mingitur. At id ipsum putare inoportunũ est. Sed intelligendũ est de eis quę remanẽt postq̃ quieta fuerit urina, atq; omi ex parte refrigerata. Nam bullæ eiusmodi quiescẽtis, & refrigeratæ urinæ nequicquam à continente afficiuntur; atq; eò quod nihil afficiũtur ab aëre, indicant generatæ esse à præstantiore causa. Nã quæ paulò postq̃

Bullas spectandas esse cũ iam urina deferbuerit & quieuerit.

postquàm intumuerunt, dissoluuntur, debiliores habent causas, ac perquàm facile solutæ abeunt. Quare considerare oportet de bullis ijs, quæ multo tempore immorantur, & causas harum, & iudicia discere oportet. Alterum uero eorũ, quæ nos præteribant, est notio de corona. Siquidem multos turbare poterit, audientes coronam quandam in urinis apparere, minusq; eam comprehẽdere ob ignorantiam propositi. Coronam ergo dicimus lineam umbra depictam, quæ circumcurrit per ambitum superficiei urinæ. Si utiq; matulæ fuerint rotundæ, etiam circulo circumscribunt urinarum superficies. Sed hæ superficies per confinia inscriptæ, manentibus matulis rotundis, decenter uocari possunt coronæ, ob figuræ proprietatem. Sin fortasse matulæ fuerint quadriquetræ, aut multangulæ: tum bullæ quæ per extremitates urinæ cucurrerint, non etiam par est, ut in corona currere prædicentur, cum ablata sit figura rotũditatis. Quamuis unusquisq; dicere possit, bullas harum & il-

Cito pereuntes bullæ, causam habent debilẽ, contrà diuturnæ.

Vrinæ corona.

larum matularum easdem esse ratione iu diciorum & causarum. Hoc itaq; pacto se habent differentiæ bullarũ, quas exer cere oportet. Non enim mediocriter conferent ijs, quæ deinceps dicentur. Nunc reliqua transigamus.

De differẽtijs coronarum corporis uri næ, quæ sunt alterius gene= ris. Cap. XIX.



Vltæ coronæ aliæ commodi ores quàm quæ superius di= ctæ sunt, apparent circumeũ= tes superficiem matulæ: quæ non innatant in humore, ut innatãt bul= læ, sed potius sunt extremitates humo= ris corporisue urinæ. Siquidem cum uri næ humor aliquo quouis tingatur colo re, tum coronæ circumsistunt affectæ di uerso colore, uel albo, uel flãmeo, uel bi leo, uel uiridi, uel nigro, uel aliquo alio. At uero hæc ipsa ijs qui attente spectãt, facile apparent. Sed nõ aliter quàm præ sentia essent male uidentibus, quemad= modum in stellis crinitis obscure appa= rentibus accidere solet. Nanq; crines ea

rum

rum obſcurarum facilius cæcutiẽtibus, uel uiſum intendentibus, apparent, tanquã ualido uiſu, uel potius hæc ipſa concipiente per uim maiorem coloris atq; luminis. Atq; hæc ſuper coronis dicta ſint, quæ cõferent in locis opportunis, nunc uero dicamus ea quæ ſequuntur. Nanq; uidetur mihi hoc in loco collocari complicationes, quas eſſe contingit è coloribus, & ſubſtantia, & contentis, easq; diſputationibus hiſce addi debere. Sed tamen quod res eſſe uidetur magni laboris, & inquiſitu laboris, atq; proceſſura ad id quod non oportet, prætermiſi. Siquidem præſente diſputatione explicamus urinarum differentias, tractatus uero qui hunc ſequuntur, continebunt iudicia, cauſas, atq; præuidentias. Qui ergo circa eiuſmodi fuerit edoctus is perquàm facile poterit cõponere tam cum coloribus ſubſtantias, quàm cũ coloribus, & ſubſtantijs contenta etiã differentia colore, ſubſtantia, loco, lenitate, æquabilitate, atq; differẽtijs hiſce oppoſitis. Quinetiam idem facile poterit

Coniugatarum urinarum omnes tradere differentias cupiens, littora bubus arat.

ſecernere, quænam componi poſſint, & quæ non poſſint, ita ut etiam conſulere aliĳs hæc ualeat. Veluti ſi quis circa hæc docte conuerſando ſe geſſerit, non mediocrem autoritatem recte, tuteq́ rem capiēti addiderit. Siquis enim antea nouerit, ob quas cauſas unumquenq́ colorum, & humorum urinæ, atq́ contentorum, ac unamquanq́ horum ipſorū conſiſtentiam, atq́ reliquorum ſingula, is quid unumquodq́ horum ſibi uelit, cognouerit, atq́ perquàm facile hæc ipſa complicauerit. Et ubi prompte complicauerit, ita exacte & iudicia eorum, & cauſas reddiderit. Sed hactenus de hiſce ſatis dictum eſt.

De uariatione colorum, & ſubſtantiarum urinarū. Cap. XX.



Oſt hæc cōſiderandum eſt de uariatione ſubſtantiarum, & colorum, qui in urinis apparent, atq́ præter hæc etiā contentorum. Quinetiam de differentĳs tēporum. Nanq́ urinarum colores, aut in eodem, ut ſe habent, manēt ſemper, aut

transmu

transmutantur, aut in peiores colores mutantur, aut in meliores. Et alterutro modo mutando, aut proueniunt ad extremos colores, aut manent alicubi firmati, uel perparum forte procedunt ui ulterius promouēdi. Quoniam uero decens est ut ad magnas alterationes colorum commutentur etiam contenta, inspicere oportet, quænam fiant in hisce uarietates tam colorum quàm substantiarum, & lenitatis, atq; spaciorum loci. Deinde confert etiam considerare, an hæ mutationes fiant longiore, an breuiore tempore. Non enim parum conducet obseruare tempora mutationum. Quin & interdum etiam substantiæ solēt alterari, neq; semper ita afficiūtur, cū maiore motione in eis quàm in coloribus mutandis opus sit. In quibus conferens erit non modo discere mutationes, sed etiam tempora earum disquirere, ac animaduertere an uelocius, an tardius mutentur, Ad hæc, illud non minus, q; quæ dicta sunt, conferre & ad iudicia et præuidentiam fas est nosse, ut uarietatū

In urinis quæ consideranda.

aliæ ſint ordinatæ, aliæ ordinem nullum ſeruent. Oportet enim hæc ſpectare & conſiderare. In ſequentibus enim uidebis, ut ex hiſce bene conſideratis multa adiumenta prouenerint ad iudicandum & præuidēdum. Animaduertas quoq;, nam interdum uideris uarietates ordinatas peiores eſſe ijs, quæ ordinem non ſeruant, quæ explicabuntur in locis conuenientibus. Hic nanq; nobis ſolum propoſitum eſt de differentijs urinarum diſputare. Et ut oratio clarior reddatur, hoc pacto per exempla tranſigimus. Colorum uariamenta fiunt tum, cum de colore in colorem tranſmutatio fiat. Si eñi urina nunc apparuerit alba, craſtina uero aurea, poſthac uero aliter: uel contrà, nũc quidem ſubrubea, craſtina uero aurea, atq; poſthac charopa. Ad hæc aut lactea, aut aliquo modo aliter, ueluti tu cõplicaueris (contingit enim rem nũc hoc nunc illo modo apparere, ut uicta, uel uincens fuerit uirtus uitalis. Nanq; differentiæ concoctionum, ſiue praue, ſiue bene fiant, in urinarũ mutationibus ſpectantur)

Exemplum mutationis

Vrinæ color ſecundũ uirtutis uitalis tenorẽ

ctãtur) multas quoq; uideris in ſubſtan tijs uarietates, ſi animaduerteris ea quæ fiunt. Siquidem interdum urinæ in totũ craſſæ producuntur, nullamq; ſequeſtra tionem habentes. Interdum uero in eis ſubſidit ad fundum matulæ id quod craſ ſius eſt, reliqua urina craſſa etiam rema nente: interdum omnis craſſities ad fun dum concedit. Eſt quoq; uidere ut craſ- ſities, quæ fundum conceſſerat, urinam nunc magis, nunc minus econtra ſuffun dat. Eadem quinetiam in tenuibus uri- nis fieri contingit, tam ſi multum quàm ſi parum tenues fuerint. At uero ſi uel cum prauo, uel cũ bono colore fuerint ſubſtantiæ, ita ut haſce cum coloribus componas, plures, ut arbitror, uarietates ex eis effeceris. Omnes quoq; uarieta- tes, aut cum ordine fiunt, aut abſq; ordi ne. Siquidem ſi uſq; ad tempus quoddã quædam ſubſtantia cum quodam colo- re ſit complicata, poſthac uero ſiue ſub- ſtantia, ſiue color, ſiue utrũq; alteretur: deinde iterum, ut primo erant fiant, id'- que per plures reditus erit, uarietas cen-

Subſtantiæ urinæ uarietas.

ſeretur cum ordine fuiſſe. Contrà uero abſq; ordine uidebitur, cum ut fortuna dederit, ita mutatio colorum & ſubſtantiarum ſucceſſerit, hoc eſt in inordinatis reditibus & temporibus. Veruntamẽ (ut apertius res intelligatur) utimur eiuſmodi exemplo. Si igitur duobus deinceps diebus eædẽ urinæ apparuerint, tertia uero fit diuerſitas, quarta & quinta die urinæ ſimiles fuerint ijs, quæ in prima & ſecunda, atq; ſexta commutatio fiat ſimilis ei quæ in tertia, idq; in pluribus dierum eiuſmodi reditibus prouenerit, uarietas ordinata uocari poteſt. Quod ſi acciderit, ut duobus deinceps diebus eædem apparuerint urinæ, tertia uero die tranſmutentur, quarta alterentur, quinta etiam diuerſæ à prædictis ſpectentur, neq; per aliquos reditus eædẽ fiant anteactis, ſed exierint ut ſors dederit, & abſq; ſerie, tum uarietas eiuſmodi appellari poteſt inordinata. Diſcere in hiſce licet & cauſas, & iudicia, & præuidentiam, tum cum de his diſputationem fecerimus.

Ordinata urinæ ſubſtantia & præter ordinem.

De

De uarietatibus contentorum, & ordine, & inordinatione uniuscuiusq; eorum. Cap. XXI.



EAedem accidere possunt inordinationes & uarietates in ipsis cõtentis: quippe quæ interdum concedunt ad matulæ fundum, interdum pendentia uidentur, atq; aliquando attolli usq; ad faciem humoris urinæ. Quinetiam interdum lenia sunt, interdum dissipata, ut interdum alba, interdum in alios colores mutata. Et aliquando tenuia effecta de crassis, aliquando crassa de tenuibus. Nihilo quoq; minus interdum de superiore decidunt ad inferna, interdum de inferiore ad superna feruntur. Idq; cum diuersis coloribus, & substantiis, in quibus multas reperire poteris uarietates perquirendo quæ fiunt. Nobis enim satis sunt quæ dicta sunt, etsi indagatio subministrare possit maiorem longitudinẽ orationis de hisce rebus: quoniam nobis minus facile est recensere singulas urinas. Et uolenti uitare sermonis longi *Differẽtiæ cõtentorũ.*

tudinem, qua liceat uiro, qui circa hæc uiſus ſit diligens, ex ijs quæ dicta ſunt, intelligere reliqua: atq; oratio iuſtã prolixitatem habere uideatur ijs, qui breuitati ſtudent. Ob hæc finem imponentes eiuſmodi orationi, quæ modum menſuramq; decentem nacta eſſe exiſtimetur, ab hiſce ad ea quæ de iudicijs urinarum habentur, diſputationem transferimus. Cõgruum enim eſt, ut is qui ad artis huius merita capeſcenda contendit, primũ urinarũ differentias noſcat, ut recte edoctus ſit quot & qui in urinis colores appareant, atq; cum quibus ſubſtantijs ſoleant inſpectari. Deinde iudicia diſcere ſuper præhabitis urinarum differentijs. Qui enim eo pacto inſtructi fuerint, ijs perquàm facile erit dignoſcere, quæ ſint curanda, & quæ nõ curanda. Atq; præter hæc alia diſputatio ſuccedit, quæ de cauſis urinarum habetur. Eſt inſuper liber de præceptione, tanquam iudicatione ex urinis aperiẽte præuidẽtias. Nanque qui diligenter iudicauerit urinas, is infallax præſcius euadet. Quorum unũquodq;

Huius libri ante alios de urinis doctrinæ utilitas.

quodq́;, deo concedente, ſuis in locis explicabitur. Nos tamen hoc in loco finē facientes diſputationi de differentijs urinarum, ueluti ab alio principio aggreſſi ſermonē, qui poſt hunc eſt, tractemus.

De differentijs urinarum libri finis.

ANNOTATIO CAPITVM quæ in libro primo de iudicijs urinarum habentur.

ACTVARII IN LIBRVM primũ De iudicijs urinarũ, præfatio.



OLENTES discere, ut è significationibus urinarũ affectiões corporis quæcunq; iudicentur, ij intelligant id fieri à prima cognitione, quæ de urinarum differentijs est. Nobis uero, ubi præuenimus libro superiore in quo de urinarũ differentijs disputauimus, omnemq; eam termiuauimus rationem, reliquum esse uidetur, ut de iudicijs urinarum pertractemus. Quod in arte medica utilissimum esse comperitur. Siquidem si medicus non facile poterit diætare, uel pharmacari, uel aliud aliquod curatiuum adhibere corporibus quouis morbo laborantibus, nisi statim iudicauerit quænã sit ægritudo quæ corpus corripuit, arbitror nõ modo plurimum collaturas esse huic morbo præceptiones, quæ de iudicijs tradũtur, atque

que alijs potentioribus passionibus, sed etiam communiter cũctis, perinde ac ad omnes ferè ægritudines cognitio iudiciorum ab urinis pertineret. In ea enim sanè quàm opportune spectare quisquã poterit quæcunq; acciderint concoctioni & cruditati quæ in uenis fiũt, & quæ tertiæ concoctioni. Item quæcunq; acciderint circa renes & uesicam, atq; urinaria uasa. Quinetiam idem spectator dixerit humorum incrementa, atque minutiones, atque oppilationes principalium meatuum, & quæcunq; in hisce fieri contingat, de quibus tractandum est in sequentibus. Sed iam primum hic dicendum est de matula, & loco, & tempore, in quibus confert considerare urinas Deinde de proprijs rebus subdendum.

Iudiciũ urinarũ ad omnes ferè corporis ægritudĩes præstat cognitionem.

De differentia matularũ, & quæ ex matulis sit aptissima. Cap. I.



Atulæ igitur effectæ, uolunt esse de uitro tenui, atq; albo, ut colores exacte appareant. Nanq; aliquæ sunt, quæ subuiridescunt. Quamobrẽ nõ exacte pellucidæ

lucidæ manere queunt. Candorē enim uitri sequitur perluciditas. Viridescētes igitur non solum coloribus aliquid auferunt, sed etiam substantiam urinarum minuunt. Quinetiam in eis, necq; cōtenta exacte præsentantur. Priores illæ itaque præferendæ sunt. Figuræ uero matularum differentes habentur, à quibus etiam accidit quodammodo iudicium lædi. Nancq; in matulis ualde patentibus urina, præsertim si fuerit quantitatis mediocris, diducta per amplitudinem solã, perparum altudinis occupabit: nec erit cognoscere, quem locum altitudinis cōtenta obtinuerint, breui nō alta manente urina. Aberrare similiter est in matulis extranearũ figurarũ, ueluti sunt arctæ, atque prolixæ, ut quæ nunc solent effici: ueluti sunt quocq;, quæ infernam partem sanè quàm latam, planamcq; habent, ipsæ uero colliguntur, ut à fundo assurgant. Quæ uero fundũ habent non planum, sed uersus deorsum extumentem, ita ut fundus in conũ propè uideat̃ colligi, hæ quidē ubi oportuerit ad mouēdas urinas

Vrinæ colorē uitrũ imitari.

Matularũ forma idonea.

nas, easq́ multas capiendas opportunæ censentur. Nanq́ uasa capaciora ad id utilia essent: sed ut seruentur urinæ ut decet, uidentur minus quàm cæteræ matulæ conferentes quæ figura similes sunt uitreis cyathis quibus ad bibendum utimur. Quamobrem si opus sit discere matularum figuras maxime congruentes, quæ sunt ut cyathi, uidebuntur utilissimæ. Veruntamen oportet ut eiusmodi matulæ non sint duplices, & altæ ad introspiciēdum, tanquam ipso uitro exaustæ excederent. Neq́ habeant fundum ad multam urinam cōtinendam, sed sint quoad fieri potest simplices ac lenes, atque aliquãto maiores quàm cyathi, quibus ad bibendum uti consueuimus, ut quantitàs urinarum, quæ perfecte suscipienda est, contineri possit. Et de figura mutularum hæc satis. Vt uero urina inspicienda sit, hoc pacto monstramus.

De loco congruo ad spectandas urinas. Cap. II.



Vod loci umbratiles non parũ de coloribus urinarum tollant, transferimus urinas ad lucidos.

Quod

Quod si ualde lucidi, & solares lucescentia multa, reddant, colores remissiores ad uidendum: oportet id quoque cauere. Atque utrorunque locorum excellētias auferentes colorum uarietatem, ita ut non exacte de urinis considerari possit, fugere studendum est. Quærendusque locus medius est inter hosce, qui colores nullo pacto lædere possit, quemque oportet eousque sufficere, quò contenta manifeste uideantur. Quod sicubi loca sint ualde obscura non euidentia, tunc transferre urinas oportet prope ipsum solem, ut in loco sublucido latentia pateant.

Locus discernendi accommodus.

De tempore proprio spectandarum urinarum. Cap. III.


Operæprecium maxime uideri poterit, si tempus illud definiatur, quo quisquam (ut maxime decet) urinas inspicere ualeat. Idcirco ea de re hoc pacto orationē absoluimus, quæ cōtinet ea, quæ dictu maxime utilia esse uidentur. Vrinæ igitur in matulis factæ, si etiam subcalidæ tactu fuerint, ut solum exhibent colores

exacte ſpectari, ita in eis minus exactè ſpectantur contenta, ſubſtantiæ, atque etiam bullæ. Nanque bullarum aut omnes, aut aliquæ unà cum ſpirante urinæ calore abeunt, aut conſiſtunt cum refrigerata urina. Contenta uero ſtatim facta urina non facile apparent. Vbi uero illa refrigerata fuerit, ea hora conſpectantur, ſed tempore quodammodo menſurato. Nanque principio ſubapparent nubeculæ, quæ aut manent, aut pedetentim ad medium matulæ concedunt, ueluti poſtremo ad fundum deſcendunt. Subſtantiarum uero quæ mediocritatem ſeruant, cum coloribus conſpectantur: quæ uero ad craſſitudinem uergunt, hæ poſtquàm ſtatuta ſunt contenta, demonſtrantur, idq; etiam tardius. Et harum quæ ſtatuuntur craſſæ, non priuſquam refrigerata ſit urina, inſpici decet. Quinetiam non oportet has urinas commoueri uehementer, priuſquam omnia uideris, ne multa in eis tranſponãtur. Bullæ nanq; & rũpuntur & tranſportãtur. Cõtenta quoq; cõcuſſa ui

ſa ui, diffugiunt propria loca, quemadmodum omnium craſſorum cõmotione facta confunditur, quæ facta erat ueluti ſtabilitas. Et hæc ipſa de tempore, quo exacte urinas ſpectari opus eſt, cognoſcere decet diligentem artis medicæ inueſtigatorem, quæ fortaſſe ſatis dicta eſſe uideri poſſunt. Nunc opportunum eſt, ut incipiamus docere diſciplinam de iudicijs urinarum: hinc auſpicio facto.

De iudicio urinæ ſecundum omnia mediocris. Cap. IIII.



CVm à quadam ueluti amuſsi uel regula mediocri, & temperata, & ſecundum naturã urina liceat capere omnium paſsionum iudicia, decens eſſe uidetur, ut prius de urina ſecundum naturam, & quæ mediocris eſt, diſputetur. Deinde de ijs, quæ aliquo pacto diſsimiles ſunt mediocri. Veruntamen quod non omnibus hominibus eædem ſunt corporis tẽperaturæ & ætates, neque exercitia eadem, neque cibi ijdem, *Alterantia in dies.*

neq; eædem regiones, & anni horæ, neque cætera alia eadem sunt, quæ suapte natura corpus humanum alterare possunt: arbitror, decentem laborem suscipere ratione disciplinæ, si de singulis horum disputem, idq; paulò inferius postulante re ipsa. Nunc uero illud potius opportunum est, ut hominem omni ex parte mediocrẽ, & temperatum primo statuamus: deinde ad eum referamus urinã secundum naturam se habentem. Cognoscenti enim ut urina secundum naturam se habeat erga hominem omni ex parte temperatum, ueluti hinc initiũ fecerit, licebit cognoscere omnes casus, & declinationes à temperamẽto. Quãobrem & iudicia in his perquàm facile patebũt, ueluti tractando aperte demonstrabuntur. Vt enim regula & amussis, cum adhibentur, ostendunt ut ligna curua, & obliqua atq; distorta sint, ita urina quæ omni ex parte mediocris est, demõstrat eã, quæ uel magis, uel minus à mediocritate ipsa declinauerit. Esto igitur homo exactè sanus, & uigens ætate, & tem-

Vrinæ corporis sani iudicium.

Similitudo.

temperatura corporis mediocris, qui ue
ſcatur cibis boni nutrimenti, & tempera
tis, exerceat ſe neq; diminute, neq; ſuper
flue, ſitq; in regione, & anni hora tẽpe-
ratis. Et (ut ſummatim loquamur) in o- *Vrina ſana*
mnibus eius rebus ſit mediocritas, me- *qualis.*
dio & diuiſione carens. Huius uiri uri-
na eſſe uult colore ſubaurea, uel ſubcro-
cea, ſubſtantia mediocris, ac proportio-
ne reſpondens potui facto, in qua nulla
innatet bulla, neq; tuberculum aliquod
ſubſideat, non inhæreat matulæ, hypo-
ſtaſis alba, lenis, æquabilis. Omniaq; ſint
ſibi ſimilia: neq; quicquã cum hiſce com
plicetur ex eis, quæ ſolent inferri ſimilia
capillis, & ramentis, & eiuſmodi gene-
ris. Hæc urina optima eſt, & ſecundum
omnia mediocris, atq; ſana. Quæ uero
aliquo modo ab hac declinauerit, hoc
ipſo ab optima, & pura ſanitate cecidiſ-
ſe intelligatur. Nec ignoramus ſanitatis
ipſius magnam eſſe latitudinem, atque *Sanitatis*
aliqua decenter eorum quæ reiecta ſunt *magna lati*
à regula urinarum, in urinis eorum qui *tudo.*
ſimpliciter ſani ſunt, apparere poſſe. Ve

runtamen ſcire oportet orationem præ-
ſentem non eſſe de ſanitate, quæ latitu-
dinem habere putatur, ſed de ſanitate ea
quæ pura & inculpatilis eſt. Hac enim
ueluti depicta ratione, certiſſime noue-
ris, quantò quis ab optima ſanitate seceſ
ſerit. Cum itaq; demonſtratum ſit, quæ
nam ſit urina eorum qui temperati, atq;
omni ex parte mediocres habentur: de-
cens erit, ſi nos ueluti à quodam ſigno
certiſſimo (quod in omnibus eſt medio
critas) profecti paſſim diſceſſerimus, ut
iudicare per ſigni diſtantias ualeamus,
quo pacto ægritudines ſeſe habeant, at-
que dignoſcere decenter, in quibus la-
bor ſuſcipiendus ſit.

De iudicijs urinarum ſecundum ſexum & ætatem. Cap. V.



Rimum de urinis ſecundum ætatem & ſexum, & naturales quaſdam intemperaturas, & exercitia, & anni horas, & regiones, & cibos dicemus. Deinde de urinis ægritudinum generalium, quæ unicuiq; accidere ſolent, diſputabimus, cũ

prius definiuerimus, quæcunque harum ipsarum ueluti colores & substantiæ, & contenta, & quæ in ipsis sunt, cõtemplari uolunt. Si igitur temperati, & florentis iuuentæ iuuenis urina sit, subaurea et subcrocea. Senum erit subtilis & alba, atque paucam hypostasim habẽs, quæ ad cruditatem inclinat. Puerorum uero urinæ ut parũ recedunt à subaureis, & subcroceis, ita substantia parum excellũt iuuenum urinas, & hypostasim cumulatã congregatamque continent. Et quò pueri fiunt natu maiores, eò colores urinarum eorum erunt intensiores. Hypostasis uero quantitates uidebuntur minores. Cum uero pueri ad uigorem iuuentæ uadũt, tum colores urinarum cessant procedere plusquàm ad subaureum. Hypostasis uero in mediocri quantitate apparet. At uero quantum ætas à florescente declinat, tantum etiam urinæ ab eiusmodi colore recedunt, uersus album euntes, atque hypostasis eò minor, & obscurior apparet. Tales urinas ætatum esse docere poterit, qui

Aetatum urinæ.

omnia colligit. Mulierum uero uigẽtis iuuentæ, atq; temperatarum urinæ non multum recedunt à colore subaureo, & subcroceo, cum declinent uersus album quarum substantiæ sunt subtiles quodã= modo: uerum hypostasim congregatã magis uidentur habere, quàm uirorum urinæ. Differentias uero ipsarum, in ijs quæ de ætatum differentijs, certò dicere est per ea quæ proxime dicta sunt.

Vrinæ secũdum sexũ.

De iudicijs urinarum, quæ fiunt in simplicibus intemperaturis. Cap. VI.



AD hæc operæprecium est do= cere, quæ accidant ob natura les intemperaturas, atque ob passiones. Nanq; cũ sint duæ passiuæ qualitates, item aliæ duæ acti= uæ. Humiditas & siccitas, cum sint passi uæ, si excesserint solæ, minimo quodam calíditas & frigiditas, magnopere altera re possunt. At uero ut humiditas exce= dẽs obtundit urinæ naturalẽ colorẽ, ita quantitatem auget. Etsi huius superfi= cies exasperetur, hypostasis uero auge= scit, atq; cruda manet. Siccitas uero mi= nuit

Qualitates quatuor.

nuit urinæ humorem, atq; contenta. Etsi pelluciditatem, ac fulgorem ei infundat, atq; colores mediocres gignit. Hypostasis quoq; etsi sit in urina secundum alia mediocri, tamen apparet substantia crassiore. Caliditas uero paulò excedēs modum, urinam subauream, atq; subcroceam reddit. Sed aucta ubi fuerit, eam efficit auream, atq; croceam: & urinæ substantia constat, ut mediocris, quanquam fulgor modicus in ea splēdescat. Hypostasis etiam mediocris est, habita comparatione ad quantitatē urinæ, ueruntamen recedit ab albedine consueta. Frigiditas quinetiam facit urinas uergere ad album colorem, atq; secedere à mediocri substantia, sed aucta frigiditate aut urina subtilis, aut crassa redditur. Si uel subtilis fuerit, uel non pura, hypostasis erit aut obscura & pauca: aut multa, sed uaria et ĩcocta. Hæ sũt urinarũ ideæ secundũ simplices intẽperaturas. Tu uero ratione ductus ab hisce facile intellexeris, & coniugationes intemperaturarum, & urinas sic apparentes.

Actiuarũ qualitatum effectus.

De iudicijs urinarum secundum exercitia, & ocia. Cap. VII.



Valisnam urina profluat ab ijs qui multa exercitia, atque supra quàm uires ferant, se exercent: item qualis ab ijs qui in ocio degunt, & sedentariam uitam ducunt, nunc tempus est referre. Si quidem qui plusquàm par est, laborant ac exercent, ijs urina subcrocea, atque etiam ad croceum colorem accedēs apparet: Hypostasis quoque his parua, atque tenuis subsidet, cuius quoque colorem contingit alterari. Quinetiam in urina eiusmodi hominum interdum innatare apparet liquamen quoddā, præsertim cum homo uehementer fatigauerit, etsi aliquando aliqua alia causa consentiat. Sed tamen ubi id uisum fuerit, suspicandum est, causam aliquam ægritudinis adesse. Sed nobis nō est propositum de hisce urinis nunc docere. Eorū uero, qui in ocio & quiete uitam saginant, urinæ ad albedinem uergere spectantur, in quibus hypostasis & maior

Labore & exercitio se se fatigantium urina.

In ocio degētium urina.

& crassior subsidet. Quæ dicta super hisce satis sunt.

De iudicijs urinarum per anni horas, & regiones. Cap. VIII.



E urinis quæ per anni horas, & regiones, ac mutationes apparent in hominibus, nunc operæprecium est dicere. Vere igitur, quantum tempus processerit uersus calidum, tantum colores urinarũ à subspiceo, ac spiceo secedentes procedunt uersus colorem subaureũ & subcroceum. Quinetiam abeunte inæqualitate substantiarũ, accedit ad id, quod est secũdũ naturã, ipsa & æqualitas cõmensuratio. Hypostasis quoq; temporis huius de crassiore incipit mutari in tenuẽ, atque procedit uersus tenuitatis mediocritatem. Ad hæc, quantitas humoris maior nunc apparet ex proportione eius, quod bibitur. Veruntamen cum æstas incipit, atque frigus exactum est, tum urinæ apparent subaureæ, atq; subcroceæ; substantia uero, mediocris. *Verna urina qualis sit.* *Aestatis urinæ.*

Tem-

Temporis uero huius hypostasis tenuior mediocri apparere incipit, sed alba, & lenis, & æquabilis. Procedente autẽ æstate, ac ad summum accedente, quantitas humoris minor ex proportione spectatur. At hypostasis à naturali albedine secedens, uersus subspiceum colorẽ concedit, estque multo minor ac tenuior. Sed tenuitas in urina splendet cum fulgore quodam, & ipsa quoque inclinat erga croceum, atque aureum. At uero ubi Autumnus accessit, tum colores reuertuntur ad mediocritatem, sed fulgescentia & tenuitas adhuc remanent. Hypostasis obscura est adhuc & parua, sed alba, lenis, & æquabilis. Procedente uero Autumno ad mediocritatem, secundũ omnia redit urina. Cũ uero sol fuerit circa solstitium hyemale, tunc quantitas urinæ ex proportione redditur. Cuius color uergit uersus album, & hypostasis maior extat. Secũdum alia uero mediocris. Procedente uero hyeme, substantia urinæ uaria spectatur, color etiam albus: quantitas uero humoris maior ex proportio-

Autumni urina.

Hyemis urina.

portione rei ebibitæ. At uero contenta huius & maiora ſunt, & incocta. Vbi uero æquinoctium uernale adeſt, tum hæc diſſeparantur, atq; diriguntur ut redeãt ad mediocritatem. Hoc itaq; pacto diſcere eſt, ut urinæ appareant per anni horas, & tempora. Vrinæ autem ſecundũ regiones, proportione reſpondent ijs, quæ fiunt ſecundum anni horas. Atque oportet uirum doctum, dum ſimilia cõparat, ex ijs quæ dicta ſunt circa anni tẽpora coniectare: & quæ fiunt in locis diuerſis, illa proportione reddere ipſis anni horis. Cibi quinetiam & diætæ calidiores, uel frigidiores, uel ſicciores, uel humidiores producũt tales urinas, quales gignunt memoratæ intemperaturæ. Et concoctiles, bonæq; ſubſtantiæ, cibi tales urinas pariunt, quales generantur in complexione temperata, ut incoctilia & malæ ſubſtantiæ alimenta gignũt urinas colore uarietas, & tenues, & quarũ contenta ſunt prorſus extranea. Sed minora, & diuerſæ ſubſtantiæ contenta apparent in urinis incoctilium ciborum, maiora

Vrinæ regionum tẽporum urinis proportiõe reſpõdent.

Vrina iuxta temporum qualitatem.

maiora uero ac in totum sibi dissimilia, in urinis alimētorum n alorum. Et hoc pacto poteris ex hisce iudicare de urinis quæ apparēt per ætates, & sexus, & intemperaturas, & regiones, & horas anni, atq; diætas.

De iudicijs urinarum, quæ fiunt à somno, atq; uigilijs. Cap. IX.


Orum qui dormiuerunt per passiones, non per naturam, urina ad album colorem uergit, cuius substantia est aut crassa, aut subtenuis. Contenta uero plura apparent, sed incocta. Qui uero per naturam dormiuerunt, urina minus alba est, quippe quæ spicea spectatur, cuius substantia uergit ad mediocritatem: quinetiam contenta sunt maiora, atque bene concocta. Eorum uero qui uigilarunt nō per naturam, urina minimo mutatur. Sed qui uigilarunt ob aliquā causam, circa principium etiā minimo mutatur in substantia, & colore, & contentis. Procedente uero tempore dissipantur, atq; deficiunt cōtenta. Vrinæ quoq; humor

Vigilantiū urina.

humor tenuis fit, atq; paulatim conce- dens ad tenuiorem: color uero aut ad al bum & aqueum uergit, aut ad aureum, & croceum, & oleaceum, & nigrum, se cundum causæ mutantis proprietatem. Ad hæc, eorum qui multũ comederunt, neq; concoxerunt comesa, urina est sub tilis, & alba, & interdum absq; hyposta si. Diurnantium uero cum cruditate co mesorum urina est uaria in substãtia, & in contentis. *Vrina indi- gestionis.*

De urinis inediæ, atq; famis. Cap. X.



IEiunãtium urina flãmea, at- que crocea, & tenuis apparet atq; minorẽ hypostasim conti net. Qui fame uero premun- tur, horũ urina est tenuis, & alba, & hy- postasi priuata, & cũ quodã splendore occurrit. Ac de hisce hoc pacto se habe- at oratio. Post hæc fas esse uidetur ut de quãtitate humoris urinæ, atq; colore si- gillatim dicamus, & de substãtia, & cõ- tentis, & ijs quæ in superficie urinæ in- natãt: ut unoquoq; explicato, etsi aliqui bus præsertim affectibus ipsorũ aliquod *Famescen- tiũ urinæ.*

defuerit, iudicia certa ab ijs fiãt, qui hisce rebus operam nauant.

De iudicijs à paruitate, & magnitudine humoris urinæ. Cap. XI.


Rimum disputandum de paruitate, & magnitudine humoris urinæ; deīde de affectibus qui hisce accidunt. Siquidem eorũ, qui perfecte sani sunt, urinæ quantitas proportionem quandam seruat ijs, quæ bibita sunt. Nanq; alterationem aliquam factam esse in ijs, quæ intrinsecus sunt: significat urina maior, aut minor, siue multum excesserit proportionẽ ebibiti, siue multum recesserit ab ea. Decẽs est de modo quantitatis humoris disputare. Nanq; urina si maior uisa sit exijsse in sanis corporibus, significat multum ebibitum esse, præsertim si uinum fuisset exile, cuius urinæ color ad album transmutatur, atque substantia ad tenue: contenta uero tenuia & uaria, non etiam lenia. Nam insistentibus crudis humiditatibus, & potibus, ac perualida manente natura, magna & subtenuis excernitur urina,

Sani urina proportione respondet potibus ingestis.

urina, atque prædictis minus alba, sed in hac meliora apparent contenta. Multa quinetiam urina spectatur in ijs, qui pauca excernunt ob naturalem quendã uentris affectum, quæ colore mediocri est, atque maiorem, & crassiorem hypostasim continet. Item multa urina solet mingi ob medicinas urinatorias, cuius color secundum naturam potius quàm in prædicta seruatur. Hypostasis uero est subtilior, ita ut obscuretur, sed fulgor quidã in humore eius splẽdet: atque hæc audienda esse in ijs, qui mediocriter sani sunt.

Copiosioris urinæ fluxus quæ de causa fiant in sanis

In ægrotantibus uero hoc pacto urina habet. Multa urina prouenit in passione, quæ ab accidente, sitibunda, à celeritate euacuationis diabete, & fluxus urinæ appellata est. Eadem alba est, & tenuis, ac hypostasi priuata. Illud autẽ scire oportet, interdum in ægritudinũ determinationibus multitudinem profluere urinæ albioris, & tenuioris, atque mediocrem continentis hypostasim, præsertim cum præcesserit urina crassior, & globulẽtior. Et qui hydrope morbo ca-

In ægrotantibus urinæ multitudinis causæ.

Hydropicorum urina. pti sunt, ijs urina maior quàm mediocris fieri solet, atque aquea, quæ crudam & diuersam hypostasim habet. Quod si urina multa exierit, ac flammea, & subcrocea, uel simili aliquo colore tincta: hanc accusare oportet, præsertim si cũ non bonis contentis profluxerit. Sin uero fuerit uineo, uel passeo colore: atque sic processerit, præsertim nulla cõcoctione præeunte: ad malum inclinare, atque mortificationem quandam, & colliquationem ostendit uniuersæ corporis structuræ. Quæ satis sunt dicta super urina excedẽte mediocritatẽ quantitatis. Vrina uero proportione minor quàm mediocris effluens, per horum contraria prouenit. Namque diæta siccior paucam urinam facit, sed subcroceã: atque minorem hypostasim, & crassiorem quodammodo mediocri continentẽ. Item tam glutinosa quàm oppilatiua, tam alimenta quàm pharmaca gignunt paucam urinam: sed hypostasim etiam paucam, & tenuem. Quinetiam quum multa fit uentris euacuatio, tum minor proportione exit uri-

Paucioris urinæ causæ.

na,

na, atque ad tenuitatem inclinat, & hypostasim perobscuram, & tenuem, & non lenem cõtinet. Ad hæc pauca urina producitur ob febris uehementiam, & color significat tibi febris quantitatẽ. Parua quoque urina descendere uidetur ob aliquem uasorum urinalium affectum, ueluti sunt locorum horum dolores, atque ipsa in ipsis urinis contenta, de quibus inferius latius disputabitur. Nũc uero de unoquoque colorum decentia referemus, iudicia itaque de coloribus, cum multiplices sint, perinde ac non omnes colores proprijs nominibus nõ sint definiti. Nam solum definiti sunt generaliores: sed medij, & submedij colores, & simpliciter speciales, sunt propriarũ appellationum expertes. Difficile esse uidetur, de singulis recensere, & ratione concipere. Veruntamen qui ingenio pollens, ac natura diligens fuerit, nec paruam harum rerum habuerit peritiã, is perquàm facile ex ijs quæ dicta sunt, poterit cætera non dicta complere.

Ex urinæ substãtia et colore febris quantitas significatur.

Omniũ urinarum colores tradere infinitum quoddam.

De iudicijs albarum urinarũ. Cap. XII.



Lbi urinarum colores (incipiendum enim eſt ab albis: album enim eſt corporum ſimplicium, quod eo demonſtratur, nanque illa nullam notam alterſus coloris ſuſcepere) diuiduntur in plures ſpecies per differentiã magis & minus. Sed quæ & quot ſint, in ijs quæ de differentijs urinarum, aperte dictum eſt. Quamobrem nõ opus eſt producere orationẽ ſuper eis, quæ illic ſufficiẽter habita eſt. Sed addamus nunc oportet, quæcunque ſignificant albi colores, cum appareant. Demonſtratum iam eſt quæ ſit urina omni ex parte mediocris, ſecundum colorem, & ſubſtantiam, & cõtenta, & quẽadmodum oporteat diligentem conſideratorem per elongationes horum colorum factas, à ſigno quodam ſimpliciſſimo dimetiri ægritudines. Igitur concoctione humorum corporis recte facta, color decens illucere in humore urinæ ſpectatur: in coctione uero præſente ſpiceus, & albus color, & q inter hoſce

Probæ coctionis urina.

ſub-

ſubmedij ſunt, apparēt. Veruntamen de finiendo modos, quibus urinam albam apparere contingat, clarius reddemus unicuiq; id quod decet. Igit̃ alba urina in ijs qui ſani ſunt, ſemel apparens, ſignificat multam uini potionem, præſertim uini exilis. Et iudicij huius fidem facit ipſa urinæ magnitudo. Quod ſi quantitate ſit mediocris, & hypoſtaſim proportionalem cōtineat, indicat frigidā quandam intemperaturam hepatis. Et ſi hypoſtaſis ſit multum obſcura & occulta, ipſa uero urina multum alba, demōſtrat ſenectutem uel ſecundum naturam, uel à morbo. Quinetiam alba urina in hydropicis prouenit, quæ uidetur continere hypoſtaſim diuerſam, atq; crudā. Nihilo quoq; minus in ijs, qui patiuntur oppilationem aliquam in membris internis atq; renibus, producitur urina alba atq; tenuis. Quæ in febribus acutis urina alba exit, eiuſmodi apparet, quod humor qui ipſam tingebat aliò tranſmiſſus eſt. Eadem ſi mediocris, uel maior quàm par eſt, ſit, interdum habet conten

Alba urina in ſanis qd portendat.

Alba urina in hydropicis & febribus acutis.

ta diſperſa, & tenuia, interdum ueluti ſemen humanum, atq; refugiens fundum matulæ, interdum prorſus deficiũt contenta. Nihilo minus quinetiam cum humor tingens uehementer inclinat in uentrẽ, urinæ albæ ab abſentia humoris tingentis fiunt. Quod diſcere licet ab ijs quæ egeruntur. Quemadmodum etiam contrà interdum accidit. Nanq; tinctas urinas iudicamus ab egeſtiõibus albis. Sæpenumero enim humores ubi impetum eiuſmodi aliquem fecerint, inclinationem capere cõſueuerũt. In quo ſi fas eſt dicere collectam omnem rationem, hoc pacto dicendũ eſt. Vrinæ albæ fiũt aut à craſſitudine, & multitudine crudorum humorũ, aut ab oppilatione meatuum, aut à potus magnitudine, aut ab incoctione, aut etiam ab auerſione humoris tingentis, atq; à frigiditate ſecundum naturam, & ſecundum ægritudinẽ, quæ ualde albæ ſunt, atq; cum tenui ſubſtantia exeũt. Quæ uero cũ ægritudine fiũt, minus albæ prædictis ſunt, ſed indicant multũ humorẽ crudũ uigere in corpori-

Summa albedinis urinæ.

pori-

poribus. Atq; albus urinæ color ſignifi- cat hæc ipſa: ſed quantum intenditur, eò peior exiſtimandus eſt ratione habita ad ſanitatem.

De iudicijs urinarum ſubſpicearum, & ſpicearum. Cap. XIII.



Rina quæ ſubſpicea, & ſpicea apparet, indicat minorē inco ctionem, quàm quæ ſuperius memoratæ ſunt, ueluti natu- ram indulgere concoctioni ſignificans. Sed tamen ipſa uidetur cruda, compara tione habita ad mediocrem urinam: tan tumq; diſtat hæc à ſanis, quò plus albedi nis habet. Alba enim quæ diſtat à medi- ocri, expers eſt decentis coloris, & ſub- ſtantiæ. Quæ uero parum diſtat, ea pa- rum deficit in colore, & ſubſtantia: ita ut cum hæc appareat, ſignificat conco- ctionem excitari. Sed oſtendit innatam caliditatem à mediocritate magis rece- dere uerſus minus. Quibus ita ſe haben- tibus non facile ſubſtiterit aliquod con coctū ex contentis. Cū enim urinæ ſub- ſtātia incocta fuerit, incocta eſſe cōten-

Alba urina priuationē coloris arguit.

ta oportet. Et ſpicea urina, hoc pacto manca eſt in colore mediocri, & ſecundum naturam. Cum uero urina magis tingatur, capiatq; ſubſtantiam mediocrem, tunc apparet ſubaurea, & ſubcrocea: qui colores ſunt perfectæ concoctionis, ſignificantes toti corpori ſanitatē certam perfici. Veruntamē nihil fortaſſe oberit, ſi decente ratione intellexerimus integra de urinis mediocriter, & ſecundum naturam habentibus. Siquidē ijs, qui placida ſint natura, potius apparet urina ſubaurea: qui uero rubea bili ſecundum naturam affecti ſunt, ijs apparet ſubcrocea. Quemadmodum in melancholicis, & phlegmaticis uidetur mediocris urina inclinare uerſus albū. Sed de coloribus mediocribus nūc mihi nō eſt tranſigēdum: quippe quod prius diſputatum eſt in libello de regulis urinarum, non ſolum de mediocri, & ſecundum naturam colore, ſed etiam de ſubſtantia, & contentis mediocribus. Quare reliquum eſt dicere de coloribus, qui poſt hoſce ſtatuti ſunt, recedūtq; à mediocri-

Colores in urina perfectæ concoctionis.

Vrinæ ſingulorū humorum.

diocritate, qua aliquam affectionẽ corporis significant.

De iudicijs aureæ, & croceæ urinæ. Cap. XIIII.



Vrea & crocea ultra prædictas apparens urina, intensionem quandã præter naturã caliditatis ostendit. Quæ si subtenuis, aut mediocri crassior sit, hyposta si caret, aut perpauca, & obscura contẽta habere uidetur. Quinetiam aurea significat intensionem caliditatis potius per materiæ quantitatem, quàm per defectum materiæ. Crocea uero, contrario modo se habet. Nanq; aurea appparet ob multorum ciborum, & medicinarũ acutarum oblationem, obq; ebullitionẽ sanguinis ab ira. Item ob intemperaturã quandam uergentem ad calidum in uisceribus: accidit quoq; ob effectũ quendam similem anni. Crocea uero apparet ob mœrorem, ob curam, ob uigilias, ob solis æstum, ob laborẽ, atq; ob alia: quæ ut rubeam & tenuem bilem minuendo aggerant in corpore, ita naturalis humi-

Aureus urinæ color multitudinẽ calidi cũ materia prodit, crocea secus.

ditatis defectum quendam parant.

De iudicijs subrubeæ, ac rubeæ urinæ.
Cap. XV.


Ost hasce inspicit urina subrubea, sed crassa frequentius, interdum etiam tenuis apparet. Sed rubea potius ostendit tincturam bilis rubeæ. Nam comperta est ratione, et experientia eiusmodi bilis species: de qua dicetur proprio in loco. Quinetiam serea saguinis superfluitas, quæ magis apparet in febribus uehementibus, quæq; ob humoris affinitatem in debilibus hominibus (nisi aliqua impediens causa reddita sit) etiam apparet, in qua uehementior quoq; febris solet accendi. Eiusmodi rubrum ratione cognitum est, & ab eisdem memoratis bili rubea, & sero sanguinis nos docuit, ut ipsum sit in subrubeo humore, accepitq; utraque illa tantum intensa esse, quanto rubor extitit manifestior. Illius quoque meminisse opus est. Nanq; uena scissa aliqua ex ijs, quæ circa uasa urinæ, uel ulterius sunt, sanguineq; misto cum urinis.

Rubeæ urinæ significatio.

nis, eiusmodi spectatur urina. Sed coniu dicandum id est tum à locali dolore, tũ ab antecedente causa: & procedente sic tempore uulnus saniem facit, unde sanie iam cum urina currente certius fit iudicium, atque fides super urina cum sanie. Similiter accidit, ut uasa colantia seream sanguinis superfluitatem, cum passa fuerint maiorem raritatem ob aliquam causam, nec hactenus scissa sint: tũc secernitur sanguis, qui cum urina miscetur. Quinetiam hoc pacto cognita uenit laxitas quædam renum. Nanq; hanc sequitur maior urinæ excretio, atque in homine apparet maior debilitas: quæ eò certius laxitatem eam indicant, quò minus habeantur signa uenæ discissæ. Ad hæc subrubeus & rubeus color mediocre malum significant, etsi ab eiusmodi rubeo humore geniti sint (siquidẽ is humor peculiaris magis extitit ipsi homini) idem quoq; non ualde prauus extitisse probatur nobis arguẽtibus id à proprietate colorum.

Certius iudicium à locali dolore et causa antecedente.

De iudicio uinei coloris urinæ. Cap. XVI.


Antum in peius inclinauit uineus color, quantũ discessit à subrubeo rubeus. Significat enim bonum humorem assari, atque transigi, uel ad rubeam, uel ad nigram bilem, quarum utraque peiores passiones cæteris gignit. Quod si cum eo colore urinæ aliquid bonæ hypostasis appareat, tunc malum hoc mediocre erit. Meditatur enim natura eousque dominari. Sin uero mala fuerint contenta, aut nihil aliquo tempore contentorum apparuerit, urinaq; uideatur ut nubes crassa pauco lumine solis suffusa, hoc est mista ex tenebricoso, & lumine pauco, ueluti prauus est color, tum prorsus, ac multo uirtutis robore indiget ad recuperationẽ faciendã. Ad hæc, interdũ in sanis hominibus, q̃ multa elaborarunt, aut longum iter fecerũt, eiusmodi urina uinea spectatur. Sed tum etiã aliqua bona signa cum ea concurrunt.

Nuncia humorũ assatorũ urina uinea.

De

De iudicio passei coloris urinæ.
Cap. XVII.


Asseus color qualis aspectu sit, antea docuimus in ijs, quæ de differentijs urinarũ. Quid nam autem sibi uelit, nũc opportunum est docere. Eiusmodi igitur urinam dicimus ostendere multum secedere à mediocritate, multoq; uirtutis robore indigere, ut ad bonitatem transmutetur. Quinetiam quemadmodum uineus color significabat humorem sanguineum assari, ita nunc passéus indicat bileum aduri. Quamobrẽ eiusmodi urina permanens, decenter præmonstrat morbum arquatum adesse. Quod si in alio appareat, siue significet hũc incompotem uiuendi esse morbo dominante, siue uictoriam naturæ redeuntis, uidelicet cum signis concoctionis: discere est diligentius in eis, quæ de præuidentia, quæ post libros de causis urinarũ, fauente Deo, scribemus.

Adustionis humorum signa.

Regij morbi urina.

De iudicio uiridiũ urinarum. Cap. XVIII.

Viridis urina non sine noxa corpus suũ deserit.


Iridis urinæ color tã malus est ꝗ tẽpore lõgo, fortunaꝗꝫ secũda, atqꝫ uirtutis cõstãtia indiget, ut ad bonũ reducat. Quinetiã prõptus est ad inferendũ malũ ægrotãti. Est enĩ deceptor, præsertim si excitatus fuerit, ac multũ destiterit à colore sano. Nãqꝫ ostẽdit humorẽ bileũ tantũ præstitisse humoribus cæteris, quantũ is color à cæterorũ coloribus dissensit, suapte natura producẽdo malignitatẽ. Quod si eiusmodi humor magis assatus fuerit, niger color generabit. Sed quidnã sibi uelit is niger color, paulò inferius aperietur, ubi de nigro colore disseremus. Nunc uero de reliquis coloribus transigamus. Verunatamen quia similitudo quædam est inter colorẽ oleaceũ, atqꝫ uiridem: par est, ut hoc in loco de urina oleacea disputetur.

De iudicio urinarum oleacearum. Cap. XIX.

Oleaceæ urinæ species tres.


Rinæ oleaceæ in tres species diuidũtur, quarum unaquæque proprium inuenit nomẽ. Nanque alia appellata est oleap-

leapparēs, alia oleicolora, tertia uero generis appellatione facta differētia, dicta est oleacea. Sed harū specierū quælibet, quasnā etiā differētias euidētes habeat, disciplina, quæ de differētijs urinarū est, explicationē sortita est. Iudicia uero enarrare nūc opportunū est. Quàm autē urinæ eiusmodi præter naturā caliditatis signa sint, ipsi colores fidē faciūt. Intēsiones uero malorū huiusmodi colorū, ostēdunt tibi differentias caliditatis præter naturam. Vnde etiam uolentibus ratione distinguendum est, quæ sint species, atque iudicia referenda. Ergo pingui liquefacto, cum ipsa incenderit adulterina caliditas, non modo in principio & augmento, uerumetiam in summo manente ægritudine, urinæ eiusmodi aspiciuntur. Siquidem in principio oleicolora præsentatur. Nondum enim exacte eo colore tinctæ sunt urinæ, ubi etiā paucū pinguis liquefactū sit. At in augmento spectatꝰ oleapparēs, cū liquefactio iā maius spacium habuerit. Sed ubi exacte pingue colliquatū sit: tum urinæ colorē

Differētia caliditatis secundū coloris intensionem & remissionē.

Oleapparens.

oleaceum præ se ferunt. Hoc enim indicatur passio esse in summo, ob in totum colliquefactionem factam esse pinguis. Sed illud meminisse oportet. Nam memoratæ urinæ interdum signum sunt liquefacti pinguis uniuersi corporis, interdum renum ipsorum solorum. Atqui idipsum ratione definiendum est, atque iudicium in ipsis exquisitum reddendũ, ne quisquam aberret deceptus à passionibus similiter significatis. Ergo si paulatim eiusmodi color processerit, ita ut multo tempore confirmentur eiusmodi oleacei colores, signum est febris per totum corpus diffusæ. Sin uero breui, atq; cumulatim ijdem appareãt, passio renũ solorũ demõstratur adesse. Quibus quoque fidẽ faciet uehemẽtia caliditatis præsentis. Nam hoc modo caliditas in renibus solis excitatur: illo uero, in toto corpore ardere sentitur. Atque hoc pacto unusquisque secutus memorata præcepta urinas oleaceas iudicare ualuerit.

Oleaceæ urinæ diuturnæ significationes.

Sed iam par est disputare de reliquis coloribus.

De

De iudicijs uenetarum, & liuidarum, atque nigrarũ urinarũ. Cap. XX.


Rinarum ueneta, & liuida, atque nigra eodem colore tinguntur, quæ intensione, remissioneq́; tingentis humoris nactæ sunt diuersas species, atque nomina diuersa: ita ut ob idipsum significare reperiantur diuersas quasdam ægritudines. Veruntamen ueneta eo citerior est liuida in malignitate, quo nigra liuida eadẽ extitit ulterior. Nigredo quin imò nõ siuit colorem esse peiorem ipsa: adeò ut ianua Ditis atrocitate huius coloris etiam significetur. Præterea sunt colores, ad quos nouissime hi qui dicti sunt, possunt accidere, de quibus paulò inferius dicetur. Venetus color, uel tincturam mediocrẽ melancholici humoris suscipiens, uel frigus uehementius, uel mortificationem quandã nactus sic apparet. Liuidus uero color, eodem modo generatus in urina spectatur, interdum uero indicat plagas, atque uerbera incussa homini. At uero ueneta urina,

Id est, immi nens fati dies extrema, qua ægernaturæ concedens, adire Plutonis regiam primum sibi ueteres persuasum habebant.

quæ ſubtenuis apparet, generatur per ſuperficiem fuſi melancholici humoris. Quæ uero uerſus craſſitudinem uergit, hæc fit ob multam frigiditatem. At quæ per mortificationem uirtutis ueneta extat, hanc non habuit prior aliqua concoctionis ſignificatio, ſed à prauis coloribus ad peiores transmutata eſt. Eiſdem rationibus iudicaueris liuidam urinam ſignificantem ſimilia dictis. Quæ uero liuida apparet ob plagas, & uerbera, eam uibices ac notæ corporis tibi ſignificabunt, aliaq́ʒ ſigna quæ comperire poteris. Quinetiã urina ſumme nigra, interdũ ſignũ eſt caliditatis ad extremũ profectæ, præſertim ubi uiridis urina præceſſerit, aut aliqua ei proxima. Interdũ ſignificat extremam frigiditatem. Et cognoueris hæc ita ſe habere hac ratione. Nanq́ʒ liuida & ueneta præceſſit, frigiditatem ſignificantes. Quoniam uero coloris ad extremum peruenit, ueluti alia quæuis qualitas, ſolet diſſoluere ſubiectum, non potens tolerare immodeſtiam qualitatis. Siquidem ſubiectum

Liuida urina.

Nigra.

à mediocritate cōsistit: quod discere est tum ex aliis, tum præsertim ex actione corruptionum, quæ singulis diebus fieri spectantur. Veruntamen ne omni ex parte uideamur demonstrare urinarum colores nigros prauos esse, idipsum ratione definiendum est. Quandoquidē compertum est nigras urinas homini salutares esse in passionibus præcedentibus, quæ originē ab humore ñigro traxerunt: tam enim species melancholiarum, quàm quartana febris terminans, urina nigra apparente celerrime soluuntur. Neque quoque nouum fuerit, si melancholico & splenetico uiro datum sit pharmacum purgatiuum per urinam cum liquore mistum congruente, eiusmodi nigram urinam reddiderit, præsertim si alia etiā causa adiuuans adesse uisa fuerit. Veruntamen quod aliquando casum eiusmodi ipse uidi in familiari meo, non pigebit ipsum enarrare: qui fortasse quoque aliquo pacto conferet disputationi præhabitæ, atque res auditu non ingrata est. Accessi ad quendam

Prauitas nigri coloris per ratiões monstratur

curatione indigentem, secutusq́ʒ me est seruus meus ea pharmaca deferens, quæ collatura existimaueram ægroto, atque inibi manu capiens pharmacum (erat enim paniculus amarus) miscui cum eo tantum oxymellis quantũ satis esse putaui, atque infudi de feruente aqua, ut liquidius & facilius ad bibẽdũ esset pharmacum, idq́ʒ ægroto præbui. Ille uero calicem capiens labris applicuit, atque quadam ex parte gustauit medicinæ iucunditatem, ita ut ipse effectus sit etiam amarus. At quoniam uir ille erat strenuus & grauis, & ad eiusmodi medicinas bibendas impatiens, minusq́ʒ edoctus: uolui etiam ipse ludere, atq́ʒ redarguere abominationem medicinæ, quæ ingenita ei erat ab animæ mollitie. Itaque ubi dixissem molesti nihil tolerare debere uirum quenquam, nisi ad utilitatem comparandam, dedi seruo pharmacum ad bibendum, dixique id non mediocriter collaturum esse corpori. Seruus acceptum calicem, manu'que labris appositum, euacuatum ostendit,

Historia insolitæ nigræ urinæ ab epoto pharmaco.

ubi

ubi ſanequàm libenter ebibiſſet medicinam. Quo facto illinc diſceſſimus. Ipſe profectus quò decreueram: ſeruum uero miſi ad amicum quendam occaſione tunc uocante, iuſſiq; ut celerrime reuerteretur. Erat uia ea (ut arbitror) triginta ſtadiorum. Obedientem repperi, atque celeriter reuerſum. Sed ubi ad mingendum coactus eſſet, ei uiſum eſt nigrum mingere: mihiq; rettulit idipſum malũ, atque cauſam neſciens, magnopere contriſtatus eſt. Iuſſi itaque ut poſtera die in matula oſtenderet urinam. Sic itaque egit, etiam à futura urina diſcere expectans, uerebaturq; ne forte ignorata cauſa, repente moreretur. Ego quoque inſpecta urina nigra, primo miratus ſum, oblitus pharmaci quod nuper dederam: neque quartanam in eo affuiſſe conſiderans, neque melancholiam: ſolummodo tamẽ uidebam temperaturam eius uergentem ad quendam purum humorem nigrũ. Sed hanc ſolam non credidi fuiſſe cauſam facti, nulla altera reddita cauſa. Poſtquam uero recordatus fui medi-

cinam quam exhibueram, intellexi rem atque risi: iussique puerum confidere, ita ut ei nihil mali expectandum esset. Vrina autem plurimũ tincta erat nigrore: quoniam, ut puto, non sæpius usus fuerat ea medicina. Postera uero die urina apparuit ueneta: & quæ dies hãc sequuta est, mutata est ita urina, ut ad eam quæ secundum naturam est, concessisse spectaretur. Fortasse à principio non fuisset tincta urina tam facile ab ebibito pharmaco, nisi etiam labor maximopere adiuuisset pharmacum, quod materiam uigentem, atque exauctam diduxerat. Horum ergo uniuscuiusque meminisse oportet, atque accidentia considerare, siue à pharmacis oriantur, præsertim quæ humores eiusmodi commouent, siue à cibis, & potibus simili colore affectis. Veruntamen hæc ipsa in corporibus sanis contingentia, aut parum, aut nihil mali spectata significant. In ægrotantibus uero longo tempore maxime ab humoribus melancholicis salutaria, & ægritudinum soluentia existunt. Sed in

Accidentium meminisse oportere.

ĳs qui febribus acutis laborant, semper praua sunt, atq; plurimum mortis nuncia. Cum itaque demonstratum sit quænam sit urina omni ex parte optima, & quæ hanc ipsam maxime sequatur: atque post hæc quidnam sibi uelit unusquisque è coloribus urinarum; reliquum esse uidetur ut de substantia urinarum, déque contentis disputetur, definiendo ratione uniuscuiusque iudicia, & quid eorum unumquodque manifestare uelit. Sed tamen ubi decentem modum disputandi fecimus, neque par est disputationem ipsam differre, ne uertiginem afferamus, capientem inuenta iudicia quæ sufficienter memorata sunt. Sed ad aliam, quæ sequitur, disputationem transeamus, re ipsa nos eo pacto uocante. Donum quinetiam Dei putari poterit, si fiat admonitio certa studẽtibus. Nãq; & nobis, qui nihil à recta declinauimus, accesserit innocẽtia magna: eos uero q disciplinã cõceperint, sequetur inerrabilis institutio circa iudicia memoratorũ


uniuersalium, perinde ac si causam manu tenerent. Neque arbitror quicquam melius contingere posse studentibus, quàm super male affecto corpore uerum iudicium, quod decet omni ope experiri, ut diligenter exerceamus.

Libri primi de iudicijs urinarum, finis.

ANNOTATIO CAPITVM quæ libro secundo de iudicijs urinarum, continentur.

ACTVARII DE IVDICIIS urinarum, Liber secundus.

PRAEFATIO.



VMMA uis illa disciplinæ, ac maxime utilis medicæ arti cognoscẽdi ægritudinum genera, iam pridem indagata est ab ijs qui operam nauauere hisce rebus quæ inuentæ sunt diuersis in locis, facultate uero per urinas cognoscendi, quæ in hisce multò plus quàm alia opus est, nescio quonam pacto neglecta: quam nos hoc in opere aggressi sumus. Sed cum nõ omnem iudicãdi rationẽ libro superiore definierimus, altero hoc ipso libro indigemus, ut oĩs recta ratio quæ de iudicijs est, reddatur. In quo si uideamur super hisce disputationẽ protrahere, id nõ incongruũ uideri poterit ijs qui prõptiores extant ad accusandũ, præsertim si res necessarias, & sufficiẽtes demõstrauerit oratio. Quãdoquidẽ & q didicerint, ij facilius hinc

Quæ hoc libro speranda.

nouerint, ut omnis explicata ratio ſuffi-
ciens ſit ad eiuſmodi diſciplinam capeſ-
ſendam. Et qui curare aggreſſi fuerint,
ij hinc docti tã facilius confidentes erũt
ijs quæ norunt, ueluti cæteris antecedãt
quàm promptius enunciauerint, quæ nã
tãquã uicta naturali uirtute aggredi nõ
oporteat. Si quis igitur uelit in ſingulis
diſputationibus docere, quemadmodũ
polleat in arte medica iudicatio, hic ui-
debitur feciſſe quidem commodum in-
doctis, qui ſemel indocti eſſe cogniti
ſunt, doctis uero recordationis non in-
utilis munus etiam paraſſe. At uero qui
opinatus fuerit commodum eſſe, ſi dicta
iterum dicerentur, non ut recordatio fie
ret, is prorſus inutilem laborem defen-
diſſe cenſebitur. Et dicendo iterum ut
polleat in arte iudicatio, non minus uir-
tutis momentum uerbis, quàm magnæ
promptitudini ſtudentium tribuit. Sed
hæc ipſa hoc pacto maneant, cum de eis
orationem protrahere non multum op-
portunũ habeatur. Nos uero ubi in ſupe
riore libro diximus de urina, quæ omni
ex

parte ſecundum naturam eſt, & de quantitate humoris eius, atq; de coloribus, reliquum eſſe uidetur docere in hoc libro de ſubſtantia ipſius humoris, atq; de cōtentis, deq; ijs quæ in contentis contemplantur. Quinetiam de bullis, & alijs quæ in ſuperficie urinæ innatant. Demúmque ſi quid aliud circa urinam exquiratur.

De iudicio ſubſtantiarum urinæ. Cap. I.


VM præceſſerit, quæ in uenis ſit decens concoctio, tum mediocris apparet urinæ ſubſtātia, quantumq; illa receſſerit ab eo quod decet, tantum quoq; ſubſtantia decidere à mediocritate ſpectatur. Nam cum cruditas præfuerit in regione uenarum, tum ſubſtātiæ diuerſæ producuntur. At uero quia quæ adeſt cruditas, fit aut ob debilitatem genuinæ caliditatis male affectæ ab aliqua intemperatura, aut ob aliquē humoris exceſſum obtundentem caliditatem naturalem: Quæ ſubſtantiæ ob primam cruditatem præſentantur, hæ ſanequàm tenues ap-

Subſtantia urinæ coctioni uenarū reſpondēs.

parent. In quo si diligenter animaduer-
Concoctionis gradus
teris, multas inspexeris differentias se-
cundum gradum non acquisitæ conco-
ctionis. Quæ uero fiunt ob aliquorũ hu
morum excessum substantiæ, crassiores
apparent, ita ut respondeant erroribus
factis in coctione. Quinetiam easdem
substantias efficere comperiuntur mea-
tuum oppilationes, atque eorundem de-
oppilationes. Nam in illis ueluti arctata
Grossioris substantiæ ratio.
materia continentur crassæ partes. Quã
obrem apparent tenues urinæ. In deop-
pilationibus uero crassæ spectantur uri-
næ, perinde ac si natura expelleret, me-
atuum amplitudine ciente, nõ solũ con-
coctas superfluitates, uerumetiam eas
quæ non bene concoctæ sunt. Neque su-
peruacaneum uideri poterit, si hæc di-
Tenuis substantia.
stinctius referantur. Siquidem quæ uri-
na ab inedia profluit tenuis, hæc ipsa
subcrocea spectat̃, atque aut minima, aut
nulla contenta habet. Quemadmodum
ob longam, magnamque euacuationem,
uel uentris, uel sanguinis, uel etiam uri-
næ, ueluti in diabete, urinam tenuem est
uidere

uidere, atq; albam, ac propè absq; hypo stasi. Similis etiam urina spectatur in appellata senectute ab ægritudine, & in senectute per naturam accedente. Vrina uero crassa, aut abundantiam humoris significat, aut corporis superficiei spissationem ob frigus factam, aut concoctionis principium: ueluti in quibusdam ægritudinibus fieri solet, uidelicet cum in eis urina tenuis præcessisset: quarũ aliæ colore definiuntur, aliæ mutationis facilitate, aliæ contentorum crassitudine. Contingit autem concurrentibus uel duabus, uel tribus, uel pluribus causis naturam ostendere urinas complicatas: de quarum compositione nunc nobis propositum nõ est disputare, sed de simplicibus. Illud enim plurimum orationem protraheret, atq; ad inquirendum perdifficile esse uidetur. Hoc uero nihilo minus est promptum quàm facile. Atque studentibus non paucas occasiones præbens, ut aptiores sint ad iudicandas etiam quæ complicatæ urinæ appareant. Et hoc pacto sufficien-

Marasmus.

Crassæ urinæ significatio.

ter habetur ratio de iudicio substantiarum urinæ. Et ubi docuerimus principales rationes, si, qui audierint, fuerint prudentes, fiet ut ab hisce reliqua iudicentur, si qua remanserint. Nanque protrahere orationem, tanquam magna reprehensione dignum sentiens, fugiendum esse decreui.

De iudicijs super quantitate contentorum. Cap. II.



NVnc decens est cõsiderare super contentis. Atque primo dicendum de mutatione quantitatis eorum. Deinde de colore, & substantia, atque de lenitate, & æquabilitate, atque si quid aliud in eis appareat. Contenta igitur in urinis aut maiora esse contingit, aut minora, aut usquequaque mediocri quantitate. Cum itaque mediocria extiterint, decenter quædam afferri potest iudicatio. Sin uero fuerint quantitate maiore quàm par est, mediocria uero secundum alia, tum signa erũt hominem saginari. Cum multa comesa facile concoquantur à robusta calidita-

te naturali, idq; ocio, & uita molli, hæc ſimpliciter ſignificant hominem uti cibis qui pinguefacere ſolent. Eſt interdũ non parua quædam detentio euaporationis, quæ in uniuerſo corpore fit, atq; reuerſio reliquorum naturalium excrementorũ, non tranſitio facilis, quæ tam magna producunt cõtenta in urinis: ueluti cum prædicta fuerint mediocria, tũ etiam cõtenta mediocria inſpectantur. Tenuia uero cõtenta, ſiue maiora quàm deceat, ſiue minora, ſiue etiam mediocri quantitate fuerint: intelligendum eſt aliquando humoris crudi ſanequàm ſubtiliati ſignum eſſe, quod hinc cognoſces. Nanq; ſi modice euacuaueris matulam, ipſa contenta cito eleuantur, atq; lenitas diſſimilis redditur.

Tenuia cõtenta.

De iudicio ſuper ſubſtantia contentorum. Cap. III.



Nterdum debilitata ob frigiditatem tertia concoctio uſq; adeò eſt, ut contenta non ualeant perduci ad mediocrem ſubſtantiam, ad quam multo difficilius,

quàm res priores, quarum ipsa contenta sunt superfluitates, producuntur. Differunt autem hæc à rebus prioribus, quã contenta nõ ita citius promouentur ad mediocritatẽ, tempore & uirtutis robore indigẽtia. Diuersa quinetiã quãtitas, quæ in ipsis contentis est, præsentat mẽsuras humorũ, qui intrinsecus tractãtur. Crassa itaq; apparentia contenta si non male olent, & perlenia fuerint, non etiã sanies erunt, sed erunt humorum crudorum quorundam in uenis manentiũ amputatio, ita ut ratione habita quantitatis & crassitudinis, humorem uigentem testentur. Est quoq; uidere aliquando contenta multum excedere mediocritatem, cum in passionum iudicio natura sequestrat superfluitates quæ sunt in uenis, ita ut cumulate euacuetur materiæ nimietas: qua pro re timorem non paruum incutiunt ignorãtibus facti huius causam. Sed tamen definiendum est hoc ipsũm, ne fallat, hac ratione. Nanq; cum natura tempore iudicij sequestrat, tum contenta nullum malum colorem habent.

Contentorum diuersitas.

Et

Et ſequeſtratio ea frequẽtius fieri uidetur poſt ſtatum, & uigorem ſummũ ægritudinis. Nanq; eiuſmodi contenta in principio, aut augmento febris apparentia, ut praua inſpectare oportet, præſertim ſi cum malis coloribus producãtur. Sed hoc ſeponẽdum eſt in libris de præuidentijs. In illis enim de hoc ipſo plenius, annuente Deo, diſputabimus. At uero addendum eſt orationi illi, quæ de genere humorũ crudorum habebatur. Nanq; crudorũ amputatio differt à memorata iudiciaria ſequeſtratione. Nanque cõtenta illa, cum exquirantur, comperiuntur uiſcea, atq; muccoſa. Quinetiam interdum accidit, ut eiuſmodi muccoſa detenta in membris urinarijs, homini dolorem non paruum afferant, cuius urinæ contenta inſpecta ſimilia feceris ſaniei. Sed differunt ab ea, qua nec male olent, & qua multum ſunt uiſcea. Sanies uero quandam quoque uiſcoſitatem habens, diſtat à uiſcoſitate, quæ in humore crudo memorato inſiſtit. Cognoſcitur etiam ſanies, eo quod

Naturæ opus.

Saniei à uiſcoſitate diſcrimen.

præcessit in loco dolor: quodq́ꝫ contigit sanguinem mingi: atque sanies posita super carbonibus, grauiter olet. Sic itaqꝫ quæ iudicia sint ferēda super contentis maioribus, aut minoribus temperato, siue crassitudinem, siue tenuitatem habeant, siue mediocritatē aliquam seruent, ab hisce quæ dicta sunt, discere oportet uirum prudentem, ac ratione disquirentem. Sed posthac disputandū est de coloribus qui in contētis apparere solent.

Colores cōtentorum. Colores uero qui contenta decent, nemo dixerit esse uehementer albos, aut subspiceos. Siquidem ab utrisqꝫ horum recedentes, mediocritatem, quæ inter hosce est, nanciscuntur.

De iudicijs super albis contentis.
Cap. IIII.



Vm contenta fuerint uehementer alba, tum aut humoris alicuius phlegmatici ramēta sunt, aut pus summe concoctus, qui ab aliquo interno membro affecto secretus est. Et distinxeris hæc signis ijs, quæ prædiximus ad definiendā

Capite præcedenti.

saniem

ſaniem atque humores. Nanque dicta dicere, ut ſuperuacaneum putantes, refugimus. Neque minus ut abſurdum accuſantes, quàm cum quiſquam uelit dicere decentia, illa prætermittit.

De iudicijs ſubſpiceorum & ſpiceorum contentorum. Cap. V.

AD hæc contenta ſubſpicea, atque ſpicea minus bona quoque ſunt; ueluti declinantia à colore, qui ſecundum naturam eſt. Veruntamen quiſquam tolerare poterit hæc tanquam mediocria, uidelicet à mediocri bile colorata, quæ immenſa eſt uſque ad profunditatem corporis.

De iudicio contentorum bileorum. Cap. VI.

BIlea cōtenta etiam mala habentur; quippe quæ exauctam eſſe bilem rubeam in concoctione tertia ſignificant. Quemadmodum etiam peiora ſunt contenta nigricantia, ſuperata iam uirtute à turma prauorum humorum. Niſi enim uirtus optime, ut arbitror, ſe haberet, non etiam colores eiuſmodi extraneos ſuſciperet tan *Contenta nigra.*

quam obsessa à corrupta materia.

De iudicijs cõtentorum uenetorum, liuidorum, & nigrorum. Cap. VII.



Ijsce prædictis peiora uidētur esse contenta quæ uel ueneta uel liuida, uel nigra apparuerint. Eò iã cēsentur superasse naturæ uim, quò deteriora fuerint. Veruntamē quisquã poterit cõtenta similia facere rebus ciuilibus hoc pacto. Ponat urbem esse naturalem habitationem diffusam per totum corpus. Item ponat urbanum exercitum omnes actiones uirtutis. Item leges, & ordinē ponat esse concoctiones, quæ secundum rationem fiunt. Quoniam uero urbis quoque pars est definita in mœnia externa, atq; anteportalia: pars in mœnia interna, atq; propugnacula: tertia uero ac ultima ueluti in ipsam arcē, oportet uolentē discere ea quæ secundum naturam fiunt, comparare ipsam cum hac imagine. Igitur mediocres incoctiones dicere poterit quisquam esse legum transgressiones. Nam

Contenta similia ciuitatis constitutioni.

si mo-

si modicæ fuerint, parum læditur ipsa cõmunitas: si uero processerint, tũ infertur seditio. Quod si etiã magis auctæ fuerint, tum ciuitas in uniuersam euersionem deueniet. Id sequitur extremas, & diuturnas cruditates. Interdum ob longum tempus subeunt periculum laborantes. Quæcunque uero ob imbecillitatem custodum ab hostibus in urbem inferuntur, hæc ostendunt praui humores collecti in corpore, atque ad profunditatem iam profecti. Nam cum superauerint, atque super arce fortiores erunt, quid aliud potiusquàm euersionem euenire urbi putauerit quisquam, omni iam corruente uirtute? Secundum hæc igitur quisquam posuerit, contenta nigra, signa esse hostium incumbentium muris, atque tantum in loca urbis fortiora profectorum, quantum uersus fundũ matulæ cõtenta concesserint. Hoc itaque pacto ab hac ipsa rude facta imagine consideraueris ea quæ in natura nostra contingunt. Sed ab hisce reuocetur oratio, atq; de reliquis cõten-

Contenta nigra.

torum coloribus, modo eodem seruato, dicatur.

De iudicio contentorum subrubeorum. Cap. VIII.


Ontenta subrubea, atq; rubea cruditatem quandam in tertia concoctione, ob rubeæ bilis excessum demonstrant. Putantur tamen mediocria, atque fortasse absq; periculo apparere. Nam alia memorata contenta, non minus quantitate quàm qualitate nocentia sunt: hæc uero sola quantitate solent uirtutem ipsam offendere. Cuius nimietas si auferatur, uirtus perquàm facile ad seipsam reuertet.

De iudicio contentorum cruentorum. Cap. IX.


Ræter hæc apparent contenta ueluti cruore suffusa, quæ peiora usq;quaq; sunt rubeis contentis: sed meliora, quàm liuida, atq; nigra. Nanq; significant non elaboratum omnino esse sanguineũ humorem. Quod si magnitudo eiusmodi contentorum sit, tum id producitur, uirtute operari non potente ob multitudinem

Significatio cruentorum.

nem. Hoc ipsum tolerabile sequitur habentem, & homo ferre ipsum potest. Indiget tamen tempore non paruo ad recuperandam sanitatem. Quod si per uirtutis ipsius debilitatem per se accidentē id apparuerit; tum hoc est malum extremum, accusans uirtutem defatigari in agendo sua, atq; dissoluere eos humores, qui consueuere maxime utiles esse animali. Quæ distincte nosse poteris, si consideraueris præcedentes concoctiones, atq; habitudinem, & ætatem ægrotantis, & anni horam, & regionem, & uictum, & præsentem rerum abundantiā. Hæc enim consueuerunt nihilominus alijs conferre ad facienda iudicia, ita ut par sit, uolentem certa ferre iudicia, eniti meditari hæc ipsa. *Coniudicātia.*

De iudicijs orobeæ, furfureæ, laminceæ, similaceæ hypostasis. Cap. X.



Nunc uero decens est disputare de orobea, & furfurea, & laminea, atq; similacea hypostasi, quidnam unaquæq; earum significet. Nam qualis specie maneat, in

ijs quæ de differentijs urinarum, dictum est. Nūc iudicia super eis explicabimus, ubi hoc pacto nos ante disputationem direxerimus. Orobea igitur hypostasis in urinis, tum apparet ubi pingui iam cō sumpto, caro inceperit consumi. Neque ignorare oportet, ut interdum hāc passionem solorum renū indicat orobea hypostasis. Quod distinguendum est, ne parum expertis fallacia aliqua accidat. Ergo in ijs qui toto corpore febriunt, significat orobea hypostasis totius corporis liquefactionem. Qui uero non febre affliguntur, horum renes soli hanc affectionē patiūtur. Idem definitur quoq; à cōcoctione. Nanq; cruditas totius corporis consumptionem esse, concoctio uero simul conspectata renum solorum significat. Altera praua hypostasis est furfurea sic uocata, quæ peior est prædicta, citerior tamē est prauitate lamineæ. Apparet hæc, cum febris in profundis uasis infixa est. Illius meminisse oportet. Nanq; interdum est signum solius uesicæ patientis. Sed distinguitur hoc etiā conco-

Hypostasis orobea.

Furfurea.

concoctione & cruditate, ac febre, & febris absentia: ueluti de orobea iandudũ dictum est. Lamineã uero hypostasim tum gigni intelligendum est, cum febris procedens partes corporis solidas attigerit. Sed quæ dicta sunt de furfurea hypostasi, ea audienda sunt hoc in loco. Aut enim totius corporis passio existimatur, si & febris & cruditas aderit, aut solius uesicæ, tum cum in homine nõ est febris, & in urina demonstratur concoctio. Harum autem trium prauarum hypostasium pessima est illas excedens similacea, tantum ab hisce prauitate differens, quantum ipsa uicina est mortificationi. Nanq; febris præueniens etiam usq; ad concisionem partium amplarũ, similaceum eiusmodi hypostasim reddidit. Veruntamen hic est distinguenda similacea hypostasis ab assato sanguine. Nanque si contenta fuerint alba, tum signum est similaceam esse. Sin uero sint rubea, signum est sanguinis assati. Oportet autẽ prudentẽ circa hæc ipsa timẽdo

Laminea.

Similacea.

diligenter considerare quæ dicta sunt: atque eo pacto & dicere, & facere id quod conuenit. Item & bis, & ter, ac sæpius (si dederit occasio) idem discutere, si quo pacto primus ingressus id minus concesserit, præcogitare quod infallibile est. Nanque ueritas non capta esse, primis ingressibus detegitur. Cumq; quis imperitus nixus fuerit agere quæ nescit, risus statim præsentium sequetur ipsum, qui fortasse deliberauerint super eius stupore, atq; ignorantia. Qui uero bene meditatus, atq; diligentius res contemplatus fuerit, hunc sequitur gloria dicendi ueritatem, atq; potentia persuadendi ægrotos. Quæ etsi cursim, sufficienter tamen dicta esse arbitramur.

De iudicijs contentorum mediocriter mistorum. Cap. XI.



On latere nos oportet, interdũ humores quosdã ad ipsum matulæ fundum iam subtiliatos & disiunctos à crasso spiritu, assatos uero atq; consistentes, ostendere

dere similitudinem quandam dictarum hypostasium. Sed hasce dignoscere faci le poteris, partim eò quod præcessit mul ta crassitudo hypostasium, partim eo qđ hæ statim tempore commotæ attollun= tur atque uolant, & dissipantur. Prædi= ctæ uero prauæ hypostases semper ser= uant multitudinẽ, & crassitudinem, at= que longe plus possident matulæ fun= dum nullo pacto dissidẽtes. Sed de præ= dictis satis est hoc pacto dictum. Conse quens autem est dicere de hypostasi bo= na commista cum prauis quibusdam, ac incoctis frustis humorum quorumcũq;. Siquidem interdum accidit ut ramenta quædam conspiciantur cum contentis, quæ aut erga colorem aureum uergunt, aut uersus album, aut ad propinquum. Quæ si multa fuerint, semicoctam ma= teriam esse indicant, illum uero humorẽ in profunditate corporis abundare atq; concremari, cuius ramenta uidentur cũ contentis cõnatare. Si uero pauca sint, modestiorem eiusmodi humoris mali= tiam demonstrant, atq; malorum cibo=

Contenta cum hypo= stasi medio cri.

rum uſum producere talia. Sed tamen è regione ſibi reſpondent res ratione magnitudinis, hoc modo. Nanque quò maiora fuerint ramenta, eò minorem eſſe cremationem humorum in uenis oſtendunt: quò minora, caliditatem maiorem. Ob quamnam cauſam id fieri neceſſe ſit, nos inferius aperiemus. Nam in parte præſente propoſuimus ſolummodo de iudicijs dicere. Interdum quin etiam in contentis ueluti capilli ſubalbi palmo longi, & minores & maiores inſpiciuntur. Eiuſmodi hypoſtaſis inſpecta indicat renum quandam paſſionem. Cum conſpectantur in contentis plura, ac diuerſi generis corpora, fuerintque per quamuis cauſam diſperſa in ſinu ipſo urinæ, tum certum eſt, dolores in corpore diſperſos corripere hominem. Quemadmodum nos aliquando uidimus illa in muliere quadam, quæ ſpontaneum dolorem hulceroſum ægrotabat: atque in altera, quæ diutius ægrotauerat partium compoſitiones. Sed prioris urina plura, & aſperiora eiuſmodi corpuſcula

Ramentorum in contentis ſignificatio.

Hippo. apho. 76. libro. 4.

pufcula iniecta in cõtentis continebat, atq; propè fimilia furfuri pererrantia in humore urinæ, qui humor quoq; uideba tur aureus. Alterius uero urina erat fub- tenuis, atq; alba, ita ut parũ recederet tã fubftãtia q̃ colore ab ea quæ fecũdũ na turã. Corpufcula uero iniecta contentis uidebantur minora, & tenuiora prædi- ctis. Quarum etiam illa, quæ patiebatur fpontaneum laborem, regimine uiuen- di à nobis inftructo curata eft. Altera perfuafa eft à me iuffum pharmacum bi bere profuturum eius paffioni. Verun- tamen nefcio quo pacto timens illud ac cipere diftulit. Nondum enim habue- rat, etiam nomine pharmaci audito, ne- que biberat antequàm rediiffem. Erat ẽm mulier præter cætera moribus agre- ftibus educata. Ipfe uero eã relinquẽs di fceffi, & quidnã ei euenerit, ignoro. Ve runtamẽ hæc ipfa relata funt nobis, non eò q̃d decentior fit hiftoriarũ oratio, fed ut uos animaduertatis quãtũ cõferre cõ fueuit diligẽs urinarũ cõfideratio. Illud interim cõfulere uellem uobis, qui tam

Duarum urinarum diuerfa cõ- tenta, & hi ftoria.

Adhorta- tio.

delicate operam datis disciplinæ de urinis, & ante ipsam indulgetis cognoscendis rebus, quas quotidie fieri in ægrotātibus contingit, ut etiam merita urinarū, quæ diximus, consideretis, non parum medicæ arti conferre potētia. Sed quasnā ob causas illa fiant, docebimus, Deo fauente, in ijs libris, qui de causis urinarum inscribuntur. Et hæc satis sint de cōtentis quæ apparent esse complicata.

De iudicijs super contentorum lenitate, & contrarijs eius. Cap. XII



DE contentorum lenitate iam par est docere. Contenta igitur si omnia continua, & lenia manserint, significant noui nihil in homine productum esse. Sin uero fuerint aspera, atq; ueluti dispersa, non parua quædam perturbatio significatur generata esse in profunditate corporis ab aliquo adulterino, hoc est ex calido & humido composito, & uiolento spiritu: qui dimouendo, ita materiam dissepauit secundum ipsius uehementiam, ut hinc acciderit quod iam dictum est.

Dispersorum contentorū significationes.

Quod

Quod ſi contingat aliquod ualde crudũ eſſe complicatum cum contentis, indicat id pulſum eſſe uiolentia ſpiritus ad terminos corporis, atque ab anguſtia locorum, in quibus eſt inculcata ea craſſa materia, generari non paruum doloris ſenſum. Atq; ut diſſimilaria complicantur cum contentis ſubſiſtẽtibus, ita quoque doloris ſenſus extiterit. Et quò magis materia diſtributa eſt per ſinum humoris urinæ, eò in pluribus corporis partibus noueris doloroſum ſenſum adeſſe. Didiceris horum effectuum cauſas diligentius in libris de cauſis urinarũ. Quin etiam & contenta eo pacto aſperata, atque inter ſe diſtantia ſunt, ita quoq; in eis diuerſa iudicia habueris. Quemadmodum ſi hæſerint ſibi, atq; conſtricta ſint, indicant craſſitudinem partium materiæ impenetrabilem, teſtante qualitate uiſcoſitatis. Ita ut in quo loco humoris urinæ hæc diurnauerint, oſtendãt in illo corporis loco paſſionem diurnare, eò magis ſi hæc multum uiſcea fuerint, ac ab ipſa materia habuerint affectionẽ

impenetrabilem. Sed de lenitate, & contrarijs eius, ratio ab intelligente poterit iudicari.

De iudicijs secundum loca contentorum in urinis. Cap. XIII.



Vnc dicemus de locis contentorum, definiendo quæcũq; ab eis cognoscere licet homini sciẽtiæ urinarum initiato. Cum igitur contentorum ea quæ ad fundum matulæ concedunt, appellata sint hypostases: ea uero quæ usque ad matulæ mediũ eleuant, uocata sint sublimia: nubes uero dicantur, quæ ad ipsam urinæ superficiem perueniũt: in ijs quæ de urinarum differẽtijs scripta sunt, exactius de hisce dictum est. Quamobrem non opus est, ut orationem illam etiam in hisce protendamus: sed tamen nũc decet aperire quæcunq; in unoquoq; urinarum loco referuntur. Igitur hypostasis quæ ad fundum sedere uidetur, si fuerit bona & moderata, nihil noui significat. Sin uero fuerit cruda atque diuersa specie, significat prauitatem naturæ. Di-

Contentorum diuisio

uersa

uersa uero partium positione, ostendit segnitiem ipsius minus assurgentis aduersus rebellionem humorũ nocẽtium, ita ut opus sit hic & tempore & robore. Animaduertendum quoq; est, ne hypostasis hæreat incumbens fundo matulæ. Itẽ est hypostasis tenuis. Hæc enim est quæ in libro de differentijs urinarum dicta est obtinuisse tertium locum hypostasium, quæ non mediocrem læsionem adesse capiti significat, habens rationem nubium inter hypostases. Quæ uero sublimia sunt, si praua sint, differentia loci modestiora sunt, quàm quæ ipsis subsident. Sin uero fuerint alijs rationibus bona, tum loci ratione sola recedũt à perfecta bonitate, quod à spiritu adulterino leuia redduntur. Nubium uero quæ bonæ sunt, omnino qua nubes sunt, non parum recesserunt uersus distantiam à loco, qui secundum naturam, quamobrem multo quoq; indigent tempore. Quæ uero prauæ sunt, eò modestiores uidentur reliquis, quò abstiterunt à loco, qui secundum natu-

Hypostasis diuersa.

Tenuis hypostasis.

Nubes in urinis.

ram eſt, quiq; debetur hypoſtaſibus ſecundũ naturam. Cõmuni nanq; ratione hac ipſa hæc intelligere oportet. Itaq; bona cõtẽta à ſuperioribus locis uerſus inferiores deſcendendo uolunt transferri: ab inferioribus uero reuerti, contrarium eſt. Praua uero melius eſt ut à fundo abſiſtant, quàm ad ipſum concedant. Et hoc pacto contentis iniecta ſecundũ diuerſos locos humoris urinæ, iudicari poterunt. Quinetiam plurimum cõfert, diligenter conſiderare contentorũ differentias. Nanq; ubi contenta quæ ſecundum naturam ſe habent, fuerint ad ſuperficiem urinæ à multo ſpiritu euecta, cognoſcere poteris in capite prauã, ac non paruam affectionem adeſſe. Quemadmodum quoq; in ſublimibus affectionẽ noueris adeſſe per partes corporis ſimili poſitione habentes, habita proportione totius urinæ altitudinis erga corporis altitudinem. Adulterina uero & præter naturalia contenta ſi conceſſerint uerſus fundum, peiora demonſtrant accidẽtia. Quamobrẽ diligenter cognoſcere differentias

Diuerſitas contentorũ

rentias confert. Interdum enim humores concocti, & ad urinæ superficiẽ concedẽtes ueluti licitatores, inexpertis medicis apparentiam bonorum contentorum effecerunt: qui super concoctis illiusmodi contẽtis fundãtes uaticinia sua, plurimum à proposito aberrare comperti sunt. Veruntamen hoc potius ad munus præuidendi attinet. Idcirco par est, ut id illuc differamus, atq; ueluti ab alio capite incipientes dicamus.

De iudicijs bullarum urinæ. Cap. XIIII.



Vm in urinis cõspiciantur sæpenumero ĩnatare bullæ quædam quæ differũt colore, magnitudine, ac numero, ueluti quoq; in eis quæ dicta sunt de differentijs urinarum, de hisce diligentius explicatum est: nunc nobis demonstranda sunt iudicia, quæ super hisce habere opinamur: ut ueluti per concordiam procedentis orationis, subiunctio quædã consonans redderetur. Siquidem bullæ ipsæ cum differentijs quibusdam colorũ consueuerunt comparere. Nanq; & cũ sub-

albis, & ſpiceis, & aureis, & ſubrubeis maxime conſpicatæ ſunt coloribus. Nō enim cum nimium albis unquam uiſæ ſunt, neq; cum rubeis coloribus ſemel atq; iterum ſunt repertæ, perinde ac ſpiritus earum non poſſint generari, ubi exceſſus ſit qualitatum dominantium. Bullæ enim ſigna ſunt ſpiritus adulterini, quemadmodum in ijs quæ de cauſis urinarum, diligentius declarabimus. Oportet hæc ipſa cognoſcere quæ non parū conferentia ſunt habendis iudicijs ſuper bullis. Bullæ igitur quæ in corona ſola, integra ſerie circumſiſtunt, ſi contigerit ut colore humoris urinæ tinctæ ſint, ſignificant tibi maiorem capiti affectionē adeſſe, atq; dolorem nō mediocrē. Quæ uero ſparſim in corona manent, hæ à debiliore cauſa generantur, atq; ſimiliter ſignificant debiliorem dolorem. Veruntamen hæ eò maiores dolores capiti adeſſe oſtēdunt, quò cum intenſius aureo colore inſpiciūtur. Nanq; nunciant magnam nocentis ſpiritus ſæuitiam. Bullæ uero albæ, uel uicinæ albis, conſiſtentes in

Bullæ ſigna ſpiritus alieni.

Bullæ albæ

In coronæ ambitu, paruum, aut nullũ do lorem adesse capiti demonstrant, ea magis qua albo sunt colore. Quod si tũ fuerit urina tenuis, habueritq́ contenta nõ omnino concocta, indicant caloris naturalis imbecillitatẽ. Sin uero crassa fuerit urina, tum spiritus germanus prorsus est humoris eius urinæ. In urina uero tenui & absq́ hypostasi, potius indicãt renum oppilationem. Itaq́ super bullis quæ in corona sola manent, eiusmodi iudicia quisquam habere poterit. At uero quia interdum bullæ quæ circa mediã superficiem urinæ colliguntur, significãt super capite, operæprecium est etiam illarum iudicium tenere. Siquidem quæ in corona consistunt, significant dolendi quandam affectionem in capite adesse. Nunc concedentes uersus ipsam mediam superficiem urinæ, ostendunt remissionem quandam affectionis dolendi, tanquam causa dolendi retrocedendo dolores pacaret. Quinetiam aliæ bullæ in urinæ superficie palantes, nihil eiusmodi super capite demonstrant,

ſed ſolum condemnant multam naturæ debilitatem, maxime quo plures fuerint oppilationes, & crudorum humorum ſatietas. Quæcunqꝫ uero alia decenter diſceres, illa tibi abſoluet oratio, quæ de cauſis. Nam quas ob cauſas ipſæ bullæ conſiſtant, atqꝫ cur nõ cum omnibus coloribus appareant, in ijs quæ de cauſis urinarum, explicabimus. Veruntamen illud hoc in loco ſubiungendũ eſt. Namque ſæpenumero bullæ ſatis eſſe poſſunt, ut appareant ſignum bonum concoctionis, cum pridem uiſæ nullibi fuerint, iam naturam indulgere concoctioni indicantes. Quinetiam in ijs qui ſeminis fluxu laborant, bullæ denſius in urinis apparent per coronam. Interdũ etiã quædam corpora quamparuiſſima cum bullis inferuntur, quæ ut capilli craſſa ſunt, nõ etiam in longum protracta, ſed uſqueadeo, ut quiſquam arbitretur in dictis bullis eſſe diametrum, & paruo minora & maiora, ſiue ipſius ſeminis quis dicat eſſe ueluti ſegmenta, aut etiam renum colliquamenta. Sed oratio ſuper

In Gonorrhœa bullæ

hiſce

hisce satis habita, hoc ĩ loco gradũ sistat.

De iudicijs coronarum diuersorum colorum. Cap. XV.



Voniam meminerimus orationis de corona, etiam hæc ueluti adinuẽta illi adiungenda esse putamus. Siquidẽ persæpe colores apparent in corona matulæ, declinantes à toto colore, qui in humore urinæ est. Nam aliquando transmutantur, ad benignos etiam, si cæteri boni non sint, quibus tu contentus esse debes tanquam bonis signis. Aliquando uero mutantur in peiores, quæ sint humoris colores, à quibus auertere oportet, præsertim si concesserint in multos peiores. Nam in aureis urinis, & rubeis, & uineis, & alijs id genus, si alba fuerit corona, aut albæ similis, significat bonum in urinis esse, tanquã natura inceperit dominari. Sed in uiridi, & passea urina si corona sit peioris coloris, cõtrarium, & malũ adesse coniectare oportet, tanquam praui humores dominari nitantur. Hoc itaq; pacto licebit à colo-

Colorũ mutatio in coronis.

ribus coronæ manifeste indicātibus cognoscere quæ sint tam medicis quàm ægrotantibus decentia, ut hi recte curati absoluantur, illorum uero certa iudicia fiant.

De iudicijs eorum, quæ innatant in urinæ humore. Cap. XVI.



Voniā aliqua diuersæ substantiæ innatant urinis quæ similia sunt araneis, atq; punctis uelut ex oleo iniectis, etiam hæc, par est signa esse putare alicuius colliquationis, aut renum solorum, aut totius corporis. Veruntamen si parumper apparuerint, & se item resoluerint, nihil difficilis adesse significant. Quod si perseuerauerint, tanquam principiū colliquationis ostenderint, abhorrere oportet.

Colliquationis signa.

De iudicio urinarum ab odore malo. Cap. XVII.



T quia etiam ab odore malo urinarum est coniectare putredinē aliquā interioris mēbri tam maiorem, quàm minorem, operæprecium est has ipsas etiam iudicare. Igitur si puris quicquam in urinis

nis affuerit, putoris euidens est causa; Quod si id non aderit, ac mediocria uideantur cōcoctionis signa, alicuius particulæ mortificatio significatur. Quemadmodū si praua in urinis fuerint signa, mortificatio peruenisse in toto corpore existimatur, atq; hoc pacto à putida urina coniectandum. Quoniam igitur de omnibus quæ communiter in urinis cōtinentur, dictum est, atq; sua cuiusq; declarata præ uiribus sunt iudicia, decens esse uidetur etiam iudicia declarare urinarum hypostasi priuatarum, quæ maxime utilia sunt disciplinæ de urinis.

De iudicijs urinarum hypostasi priuatarum. Cap. XVIII.



Rinarum hypostasi priuatarum aliæ perquàm tenues apparent, aliæ non uehementer tenues: quædā etiam tenues, etsi mediocritatem superantes uideātur mediocribus spissiores. Nō tamē crassæ appellandæ sunt hæ, quæ mediæ sunt inter mediocres, & mediocriter crassas. Quinetiā qm̄ urinarū prædictarū gene-

ra omnia coloribus colorantur. Aliud enim eſt uehementer, aliud mediocriter album, aliud ſpiceum, & aliud croceum, atq; alia aliter. Nō enim opus eſt omnia repetere, quæ aliјs in locis ſæpe dicta ſunt. Quamobrem oportet uolētem de hiſce dicere, ut hinc incipiat. Igitur cum tenuiſſima urina, atq; uehementer alba, & hypoſtaſi priuata prouenerit, aut nō contemnendam oppilationem uaſorum aut indecentem frigiditatem, atq; cruditatem demonſtrat. Quod ſi in illis urina fuerit modeſta, etiam hæc erunt mediocria. Sed tamen etſi ſpicea & ſubſpicea, minorem oppilationem ſignificent, nō tamen etiam minorem cruditatē. Nanq; non præeunte concoctione, non etiam contenta poterunt eſſe cocta, quæ ſunt ſuperfluitates factæ concoctionis. Vrina uero aurea, & crocea oſtendunt minorem oppilationem, ſed cruditatē continent, tanquam naturalem caliditatem expugnaſſet adulterina caliditas. Quinetiam eiuſmodi urinæ hypoſtaſi priuatæ prouenire poſſunt ob ingentes dolores,

Alba urina hypoſtaſi carens.

Aurea & crocea.

ac

ac immensa exercitia, atq; nihilo minus ob materiæ defectum. Quæ uero urinæ ulterioribus coloribus quàm qui dicti sunt, tinguntur, ut rubea, & passea, & alio quouis modo, hæ per ipsos colores ostendunt dominantium humorum qualitatem, atq; proprietatem. Atq; dictum est de colorum proprietate libro superiore. Qua uero hæ urinæ sunt hypostasi priuatæ, non euidenter possunt ostendere oppilationem, ut euidentissime indicant aliquam putredinem, atq; cruditatem in genere uenarum. Interdum etiã apostema aliquod calidum non contemnendum in membris principalibus manens eiusmodi urinas proiecit, idq; non indecenter, eò quod illuc contracta est materia ab adulterina caliditate accumulante illam tanquã cucurbitula. Sed hoc spectat ad libros de causis urinarũ. Qua pro re par est potius, ut eousq; seruetur ad dicendum. Nunc uero quæ deinceps sunt sequendo dicamus. Siquidẽ urinæ absq; hypostasi semper, ut nouimus, prauæ fuere, eò quod multum di-

Rubea & passea.

Vrinæ absque hypostasi semper praue.

ſtulerunt ab eo, quod ſecundum naturã. Sed tantum inter ſe differunt in prauitate, quantum etiam colores diſtulerũt inter ſe. Quod ſi colores & ſubſtantiæ parum abfuerint à mediocritate, hypoſtaſis uero non appareat in eis, reprobãdæ ſunt, tanquam ſegnitiem naturæ quandã arguentes, etſi ueluti oſtenſuræ ſint hypoſtaſim paulopoſt aduenire. Nãq; uirtus paruum aliquod è ſuis operibus ubi concoxerit, etiam ſtatim tempore reparatio ſequetur. Quinetiam apparere poſſunt abſq; hypoſtaſi, & ob dolorẽ ingentem, & ob longas uigilias. Vtrauis enim harum affectionum prompta eſt, ut eo uſq; uirtutem diſſoluat, ut urinis auferãtur contenta. Nam etiam earundẽ utrauis ubi magna fuerit, ut dictum eſt, & à quauis cauſa genita, ſi diu manſerit, per ſe poterit uirtutem extinguere, quare & ſigna cõcoctionis auferre. Nam etſi horum ipſorum alterum eſſe accidens, alterius accidit, non tamen cauſa defectus contentorum eſt horum accidentiũ cauſa, ſed defectus contentorum adeſt propter

Priuatæ hypoſtaſis in urina cauſæ

pter ipſa accidētia, igitur etiam illud eſt inueniendo ſubiungere. At quas nā ob cauſas hæc fiant, abſoluet diſputatio de cauſis urinarum, ita ut tum redditis cauſis non poſſint latere iudicia urinarum hypoſtaſi priuatarum. Quinetiam homini uolenti iudicare, opus eſt quadā propria inclinatione ad ſagacitatem, & cōiecturam infallibilem. Siquidem neq; urinarum ſubſtantiæ, neq; colores, neque contenta, neq; ea quæ circa hæc ſunt, terminari poſſunt definita aliqua quantitate. Materiæ enim ſemper motæ, & diſfluentis nemo unquam poſuerit mēſus ſtabiles, atq; certos. Hoc enim fieri contingit ſolūmodo in ijs ſubſtantijs, quæ ante oculos eodem modo manent. Sed illa terminari poſſunt definitiōibus quibuſdā, atq; ſignis, ueluti intus motæ naturæ opera quodam modo figurantur. Opus itaque eſt re quadam ſtabili, ac ſimul cū tranſmutationibus uadente, qua quiſquam ſequendo ſenſus, certò diſcernere merita alterationum, atque motionum poſſit. Mentis itaque puræ munus

Corpus enī cōtinuo fluit, ut Gale. ait.

est inuenire, ut decet, tam mensurã trãsmutationum in ijs rebus, quæ non semper eodem modo se habent, quàm differentias ipsis adijcere, quæ rationes illarum euidenter dissepararent. Quamobrẽ si quis fortassis nactus fuerit eiusmodi quandam urbanitatem naturæ, is sanequàm facile, & per hæc poterit & prompte ea quæ relicta sunt, inueniendo adiungere, quæ uniuersalibus determinationibus concepta sunt: relicta uero particularibus scripturis. Veruntamen etsi hæc ipsa nihil addãt ideæ & menti, quæ est de iudicijs, non idcirco nullo pacto sunt ratione reddẽda. Nos uero addẽtes etiã disputationẽ de urinis, quæ cõtingere possunt quibusdã ægritudinibus, finẽ faciemus disputationis de urinarum iudicijs. Nam hoc solum deest ad perficiendum tractatum de iudicijs. Quandoquidem hæc ipsa, etsi non in cunctis ægritudinibus, fortasse tamen in pluribus doctrinam iudicandi pariet studiosis. Quanquam aliter facere possemus. Nã dum fugere uellemus prolixam orationem

Iudiciũ urinarũ in morbis particularibus.

nem proferre, tanquam opus insuperabile, id maximo nobis prætextui esset, si disputationes futuras de quibusdam particularibus urinis posuissemus, prætermittentes cum urinis quæ simul, complicateq; quæruntur. Veruntamen prætenere oportet, nos de simplicibus coloribus disputationẽ facere. Nam in hisce solummodo nominibus abũdamus pro prijs, atq; notis. Et demõstrantes maxime per quosdam colores, etiam quidam ostenduntur humores in compositis, ueluti in coloribus apparẽt humores. Neque nobis facile fuit recensere singulos colores, dum proprijs nominibus caremus. Et uobis atq; cæteris, qui circa res hasce docti sunt, uideri poterit nõ facile captu esse, aut cum docentes comparãt urinas cum coloribus quarundam rerũ, aut cum illas definitionibus quibusdam describũt, definitiones nõ sunt exactæ. Adde infinitam & cognitu difficilẽ mistionem esse è diuersis humorum quantitatibus. Quamobrem cum demonstrata sint genera colorum, & ut unusquisque

Difficile iudicium à cõpositis urinis.

habeat hæc definitionibus quibusdam, atque similitudinibus rerum notarum cõparata, decens est ut prudens etiam conjectet colores ipsos à diuersis humoribus coëũtibus, atque disquirat, quoad fieri poterit, quæ esse possint mistiones in ipsis coloribus.

Quod fieri non possit, ut particularia concipiantur tanquam in infinitũ exeuntia. Cap. XIX.


VTamus tempus nullum satis esse ad exacte capiendas, describendasque complicationes rerum uariarum, quæ singulis diebus in urinis inspiciuntur. Siquidem colores prædictos, ac eorum intensiones, & remissiones, atque mistiones mutuo factas, tam æqua, quàm iniqua, uel ratione, uel similitudine, uel quocunque alio modo contingat. Quinetiam cõgregationes substantiarum, quas contingit urinarum esse cum unaquaque prædictarum mistionum, quæ ferè infinitæ sunt, insuper & concursus utrarumque prædictarum, quæ singulatim fiunt cum contentis,

Differẽtiæ urinarum infinitæ.

centis, quæ apparere contingit in illis, si quisquam cõposuerit, is, ut arbitror, cumulos rerum quamplurimarum, atque propè infinitos effecerit. In quo prætermitto dicere, si quisquam etiam eniteretur proferre complicamenta, quæ fieri contingit in differentijs ætatum, & temperaturarum, & generum, cum fiunt per unũ, & duo, & tria ex eis, & aliquo alio modo, quinetiam annorum, & ciborũ, & exercitiorum, & anni horarum, & regionũ, & somnorum, & uigiliarum, & qualiumcunq; imbecillitatum. Nanq; fortasse uniuscuiusq; intellectus in uertiginem incidet, qui horum particularia in unum miscuerit. Neq;, ut mihi persuadeo, is satis temporis habebit ad cõplendam deliberationem, atq; plura diffugient ipsum indigentem tẽpore, ita ut etiã ipsum infinitum manere oporteat infinitum. Veruntamen quo modo erga hæc ipsa extitit præsumptio uirtutis rationalis, quæ scitè prius fecit cõtemplationẽ, atq; uniuersalibus conceptionibus colligens quæcunq; ad illã attinerẽt, exactã

Infinitum semper infinitum manebit.

Ab uniuersalibus ad particularia ueniendum in mixtionibus.

in omnibus disciplinam ipsi arti peperit, unde tam differentias quàm præuidentias quæ in ipsa sunt, diligenter explicauit. Quamobrem etiam ab hisce cõiectare licet ea quæ nondum dicendo in lucem deducta sunt. Re itaque ita se habente, considerãda etiã hoc in loco sunt illa quæ disputationi propositæ deerãt, ut finem propositi ubi indepta sint, nos tractatum de causis urinarum (Deo cõcedente) aggrediamur.

Quod non facile febres ephemeræ ab hisce iudicentur. Cap. XX.



Ebrium ephemerarum, quæ ab ira, & tristitia, & labore, & uigilijs, & curis, & æstu, & frigore, & inedia, & cruditate generantur, atque reliquarũ quæ secundum speciem reperiũtur, paruam quandam differentiam uidere poterit quisquam, non aliqua alia passione accidente, aut hinc aliqua putredine humorum excidente. Siquidem alterato solo spiritu, eiusmodi febrium ephemerarũ species producuntur. Vrinas uero demonstra-

Febres ephemeras per urinas iudicari nõ posse.

monſtratum eſt potius indicia facere accidentium circa humores in uenis manentes. Conuenit ut non digne in hiſce urinæ alterentur, niſi in colore. Is enim facile afficitur, neq; in hoc magna fit alteratio priuſquàm ſentiantur, atq; alterentur humores in uenis à qualicunq; uelis febrium ephemerarum. At hæ priuſquam alterent, ſoluuntur, maxime ſi nactæ fuerint cõuenientem diætam. Quo uero in colore urinæ alteratæ remanſerunt, id minimum eſt, atq; ſubſtantiam ferè mediocrem ſeruauere: cõtenta quoque habentia decentem proportionem. Atq; de febribus ephemeris hæc opinamur. Febres uero in putredine humorũ accenſas diſcere eſt mox in ſequẽte oratione. Veruntamen quod earũ aliæ ſunt deficientes, aliæ continuæ: prius de deficiẽtibus, deinde de cõtinuis dicemus.

De iudicijs tertianæ puræ, & non puræ febris. Cap. XXI.

TErtianæ puræ febris cum fit, urinæ ſpectantur aureæ & croceæ, ac ſubſtantiam mediocri craſſio

rem habentes. Atque primis diebus eius nullum ſignum cōcoctonis ſubſiſtendo continetur. Tempore uero procedente ſigna concoctionis apparent, atque alia erga mediocritatem ipſam concedere ſecundum rationem. Tertianæ uero impuræ urinarum color multo differens ſpectatur, uergens in id quod biliaceum eſt. Subſtantia etiam craſſior, quàm exacta eſt, uidetur: atque in eius urinis plura ſigna cruditatis circa contenta cernuntur. Hoc itaque pacto & puræ, & impuræ tertianæ urinarum ſpecies oſtendere ſe ſolent.

Febris tertianæ notæ urina.

De iudicijs quartanæ puræ, & non puræ febris. Cap. XXII.



Vartanæ (quæ à liene trahit originem) urina deficit in ſubſtantia, quippe quæ tenuis eſt atque alba, & hypoſtaſi priuata ſpectatur in principio. Tempore uero procedente, præſertim diebus remiſſionis, apparet in ea hypoſtaſis cumulata, etſi urinam ipſam interdum turbidam appa-

Tempus remiſſionis.

apparere contingat. Ea uero die quæ af flictionem habet, etiam tenuis & alba urina inspicitur: hypostasis uero quodã modo obscure comprehenditur. Quod si concoctionem acceperit ægritudo, cum puræ ad concoctionem peruenerint materiæ passionis, etiam urinæ puriores spectantur, concedentesq; ad id quod secundum naturam est, atque pleraque accidentia suapte natura dissoluuntur. Quinetiam interdum in urinis apparente nigro humore, illa quæ laborem afferebant, desinendo minuuntur.

Paroxismi & accessionis febris.

Quartanæ uero profectæ ab hepate apostemate calido, aut caliditate alia quodammodo affecto, urina perrubea est, ita ut ad sandaracham uergat, atq; crassior mediocri apparet: hypostasim ut quantitate modestam, ita dissimilẽ continens. Interdum tamen urina in totum crassa spectatur, atque rubea, ita ut humorum implicatio, atq; dominium extiterit. Vrinæ itaq; quartanarum eiusmodi apparere consueuerunt.

Quartana ab hepatis hulcere.

Sandarachæ color flãmeus & rubens, cinnabari non absimilis.

De iudicijs febrium amphemerinarum.
Cap. XXIII.



Mphemerinæ febris cum adest, urina tenuis est, & alba, ac ueluti aquea, & hypostasi priuata in principio: quemadmodũ in quartana dictum est. Sed cum processerit, fit crassa, atq; hypostasim cumulatam, & crassam ostendit humorum, cruditate gignente germina quædam. Quinetiam tempore progrediente, concoctionis quoq; signa obscure appparent, cũ etiã passio fuerit profecta ad infebricitationem. Nanq; febrium eiusmodi deficientium tunc coniectamus solutionem breui futuram esse, cum signa concoctionis alicuius apparuerint. Veruntamen amphemerinis celeritate præstitit tertiana febris deficiens. Tota enim huius potentia non excedere potest unam atq; alteram hebdomada, nisi tertiana non pura esset. Et quantum concoctio apparere proferetur, tantum significat solutionẽ non etiam aduenire.

Febris desinẽtis signa.

Tertianæ exquisitæ mora.

De

De iudicijs urinarum in febribus continuis à putredine. Cap. XXIIII.


Ontinuarum febrium à putredine primum urinæ colores alterantur uergẽdo uersus aureum, & rubeum, & uineum, & passeum, atq; similes, ut humorũ qualitas & quantitas fuerit. Vrinæ quoque huius substantia etsi dissimilis sit, potius inclinat erga crassiorem, interdum etiã erga tenuissimam. Cumq; colores apparent uel albi, uel diuersi: contẽta in principio non apparent concocta, sed dissimilia & diuersa. Procedente uero ægritudine, facilia omnia sunt, & concoctionis apparent signa. Nõ ignorare id etiã oportet: nanq; interdum post febris uigorem, cõtenta cumulata & crassa subsidere spectantur, cum putredo quæ in uenis erat, ab ea hora fecerit repẽdi principium. Illud quoq; tenere oportet. Nã quæ propius salutem esse significant, auertuntur aliquando ut in principio appareant: opus est enim tunc tempore, et uirtutis robore ad concoquẽdum. Mala

Febriũ continuarum à putredine colores.

censetur urina eorum, nisi procedentē ægritudine cōtenta appareāt, & reliqua apparētia meliora fuerint. Fortassis em̄ eo modo crescente ægritudine, ac in urinis malis signis apparentibus, mors præripuerit ægrum in ipso augmento. Veruntamen hoc spectans ad partem præuidendi, oportet ut eousq; differat. Reliquum est, ut de urinis modis diuersis alteratis disputetur.

Erisypelarum & inflammationum notæ.

De iudicijs urinarum, quæ fiunt ob aliquod membrorum principalium affectum. Cap. XXV.



NFlammationis & ignis sacri atq; alterius alius similis affectionis ad caliditatem magnā uergentis, cum aderit in aliquo membro principali, urinæ non parum alterantur, & tantum inter se distāt, quantū membra inter se differunt & dignitate & uicinitate primi calidi. Hepate igitur & pulmone patientibus aliquē eiusmodi æstum ab aliquo humore, urina spectatur perquàm rubea, atq; sanguinea, & uinea secundū quantitatē, & qua-

Hepatis affecti.

litatem

litatem caliditatis. Aegri uero cum eiusmodi affectus patiuntur in cerebro, aut in septo transuerso, aut in uẽtre, tum eorum urinæ minus alterantur. Patientiũ uero memoratas affectiones in liene, urinæ color prauus apparet ob nigredinẽ humoris qui in eo abundat, si modo humor hic capiat momentum exeundi per urinas: sed horũ febris minor est, quàm quæuis patientiũ in prædictis membris. Vterus uero et renes, & uesica, & colõ, & podex patientia urinã alterant, sed minus quàm cum cerebrum & septũ transuersum eisdem capiantur passionibus. Veruntamen in omnibus hisce contenta tam significant naturæ potentiam, atque imbecillitatem, quàm membra manifestiora patientia: quorum aliqua dicta sunt, aliqua quoq; dicentur. Membrorum uero quæ extrinsecus sunt, & longe distantia à caloris fonte, eiusmodi affectus patientiũ urina mediocriter, ac nõ etiã manifeste alterat, & cõcoctionis signa potius ostẽdit, cũ nulla febris putrida ab illis mẽbris accẽdatur, cuius

Cerebri. *Septitransuersi.* *Lienis.* *Vteri & partium inferiorũ uentris.* *Membrorũ exteriorũ.*

febris ſigna paulò ſuperius reddidimus. Contrà uero quæcunq; membra acceperunt principium paſſionis ab aliquo influente frigido humore, ſiue cerebrum ſit, ſiue hepar, ſiue pulmo, ſiue ſeptum tranſuerſum, ſiue uenter, ſiue particula alia, horum membrorum illa quæ longius à fonte caloris ſepoſita ſunt, magis alterantur, atq; frigiditatis & cruditatis humoris actiones oſtendunt. Quæ uero abundarunt caliditate ob uenarum amplitudinem, atq; caloris propinquitatē, ea à frigiditate minus offendũtur. Quandoquidem aut principium paſſionis nõ ſuſcipiunt: aut ſi ſuſceperint, modeſtam tranſmutationem factam oſtendunt in urinis. Prauiorem nempe urinã illa mēbra patientia oſtendunt, quæ uel loco, uel naturali quadam temperatura longe à caloris fonte ſepoſita eſſe contigit. Veruntamen de hiſce conuenientius in libris de urinarum præuidentia, definietur. Quoniam uero temperaturam ſimplicium exauctarum ſpecies urinæ didiciſti, ſciuiſti quoq; adinuenire humorũ

exupe-

exuperantium species in urinis, facile adinuenire poteris urinas in ægritudinibus hominem corripientibus, ita ut in hisce exacte collocãda sint iudicia. Non enim nobis licet proferre singula quæ in particularibus ægritudinibus inspectantur, tum orationis longitudinem fugientibus, tum sufficiẽtia præcepta ad iudicandum assecutis. Quamobrem facile quoq; uidebitur uiro qui studendo collegerit multa, atq; præsciuerit ægritudinum differẽtias, & libros de causis, ut iudicet unamquamq; urinarum apparentiam. Siquidẽ si quisquã diligẽter hæc uiderit, noueritq; à quibus humoribus unaquæq; ægritudo nõ contemnẽda generetur, atq; in promptu habuerit ea quæ hic tradita sunt præcepta, is perquàm facile ratiocinãs adinuenire potest, quæ in quibus ægritudinibus urinæ apparere debeãt. Nanq; alia discet facillime, ueluti quæcunq; in genere uenarum statuuntur. Quæ uero ultra uenas mãserint, ea etsi fortasse difficilius cõprehenderit, nõ tamen quæ habiliora fuerint, fugient

uirum exacte considerantem. Quæcunque enim spiritu solo alterato, aut nerueo genere patiente fiunt, hæc non facile est comprehendere per considerationem urinarum; nisi uenarum genus suscipiat sensum membri, quod prædicatur subijsse passiones: hinc enim passiones fiunt manifeste in urinis.

Quod uolentem exacte de urinis considerare, oporteat præter alia etiam probe callere disciplinã de pulsibus. Cap. XXVI.



TVtius fortasse de urinis cognoscere uidetur isce qui peritus est discernẽdi pulsuum motiones. Arteriæ nanque (ut nouimus) participauere nerueas tunicas, atque spiritum implentem eas continent. Quamobrem ipsæ primum cognitionem præbent ijs qui sciunt tangendo pulsum, alterationem aliquam factã esse in spiritu, atque nerueo genere. Vrinæ uero illa melius ostendunt, quæ in humoribus & concoctionibus sunt, & contingunt. Quod si uera fateri decet, studenti recte iudicare opus est utraque prædicta cogni

Arteriarũ constitutio.

Vrina coctiones & humorũ cõplectitur præsagia.

cognitione. Quēadmodū enim ruentē domū renouare festināti opus est utraq; manu: nanq; duarum altera deficiente non tutū erit disponere ea quæ oportet: ita quoq; medicam artem indipisci uolēti, utraq; disciplina præter alias opus est. Veruntamē de urinarum iudicijs disputatio ita explicata, bona quidem est exercentibus, utilis uero ægrotis corporibus, qua ueritatem attigerit, cui indulgere debere uiros ingenio pollentes, recte definiretur. Nobis autem, ubi reddidimus orationi decentē modum, par est hoc in loco sistere cursum eius, ne garrulitatis accusemur, & ut morsus quos quisquā accusando cogitauerit orationi nostræ infigere, illud nunc audiens cōpescat. At uero cū alia quæ putantur manifesta ex dictis esse, relinquātur: alia etiā dicētur in libris præuidentiarū, eo quod illic magis congruere existimantur. Partes enim huius disciplinæ cōmunicant multa alia mutuo se habētia. Quamobrē non mirandū est, si aliquid uideatur relictū esse quod potius cōuenire cum illis

Simile.

Disputationis de urina commoditas.


nobis uisum est. Ad hæc & si aliquid in disputatione prætermissum esse uideatur, ueniam det quisquis affectum humanum criminãdo obiectat: qui accidere solet plerisq;, qui singulis diebus literis incumbũt. Atq; hæc hoc pacto se habeant. Par esse quoq; uidetur, ut causas eorum quæ dicta sunt, in libris qui hosce sequũtur, referamus. Quæ fortasse etsi parum cõferre ipsi arti uideãtur, tamẽ tutã cognitionem esse de iudicijs in prædictis institutionibus cõstruere poterunt. Redditis enim causis credere quisquam magis ducetur ijs, quæ debẽtur. Atque oratio de iudicijs urinarum ubi iam sufficienter habita sit, relinquatur: atq; sequatur ea quæ de causis, ita postulante nexu totius compositionis. Deus uero largiatur, ut illa tractãdo definiamus, quæ ueritatis fidem facere ualeant.

Secundi libri de iudicijs urinarum, finis.

ANNOTATIO CAPITVM eorum quæ libro primo de causis urinarum, con tinentur.

ACTVARII DE CAVSIS urinarum, Liber primus.

PRAEFATIO.



VI mẽs eſt ſcribere de aliqua quæſtione, huic nõ ſolum par eſt res neceſſarias literis tradere, uerumetiam omnia quæ institutioni utilia eſſe creduntur. Hoc enim pacto omnia complectens, oratio perfecta exiſtimatur. Eam ob rem & diſputatio de cauſis urinarum ſubnectenda nunc eſt. Quandoquidem qui medicæ arti multa experiendo indulgent, ac nulla ratione utuntur, ĳs ſatis eſſe poterit ſola tractatio de iudicĳs: qui uero amant elegantiorem artem philoſophia reddere atq; præſumunt, omnia aut nequicquam abſque cauſa ſcire uelle, ĳs neceſſarium eſt ut apparetur tractatio de cauſis urinarum. Nanq; qui exacte ſciuerit ſcrutari cauſas effectuum, is facilius iudicata cõprehẽderit, atq; quæ relicta ſunt, ſubiunge-

Librorum de cauſis ordinis ratio.

re ualuerit. Contrà uero qui ignorauerit disputationem de causis, non etiã certò cognouerit iudicia quæ fiunt super urinis. Quamobrem fas esse uidetur, ut tractatio de causis urinarum subiungatur, ut omni ex parte & exacte, & perfecte se habens oratio uideatur sufficiens omnibus ijs, qui rebus hisce operam nauant. Quamobrem cum propositum sit dicere de causis urinarũ quomodocunque apparentium, operæprecinm erit collocare in ipso ingressu disputationis orationem de causis concoctionis, uelu ti suapte natura id postulent.

De causa permansionis animalium. Cap. I.



Vmana natura dũ enitatur seruare hominis manentiam per eas quæ in speciebus rerum fiunt successiones, quæ aguntur ob mutuas generationes, essetq; opus manentia quoq; particularium, ne simul interiret quod generaretur, adinuenit nutrimẽtorũ institutionẽ, atq; hisce stabiliuit uitã particulariũ, prius ædificatis nutritionis uasis pluribus atq; uarijs, qui bus

bus indidit potētiā uitalē. Humida igitū & sicca atq; spiritus sunt cōtinentia substātiā ipsam corporis, atq; in ipsis fundata est uita. Sed tractatio de nutritione à spiritu ad alias disputationes pertinebit. Ea uero quæ super sicco & humido nutrimēto est, par est, ut iā aperiatū, quæ magnope collatura est disciplinæ de urinis.

De causa generationis contentorū in urinis. Cap. II.



Cibo primum permanso, atq; præparato, ita ut promptus sit ad cōcoctionem recipiendam, ipsum atq; potum uenter excipit, qui corrugatus alterat hæc genuino calore, modo nihil impedimenti intercesserit. Vbi uero nutrimentum hoc succificauit, id quod tenuius ac purius in eo fuerit, per uenas ab hepate sub ortas emungitur, & uelut exuccatur ad meliorem hac ipsa quandam transmutationem. Nanq; primam uere transmutationem nutrimentum ubi in uentre susceperit, ultra hanc alteram capit in uenis medijs, & hepate, quæ melior est priore, sed minor tertia, quæ post ipsam

Digestio cuiusq; nutrimēti prima.

Secūda in hepate.

est. Veruntamen in uentre sufficienter, ut dictum est, nutrimentum concoctum est, aliquod per intestina secernitur, aliquod tanquam utile ad restaurationem retinetur, quod uirtus in hepate & uenis excipiens, ipsaq; per se, si sana fuerit, alterat atq; transmutat in rubedinē sanguinis, atq; illic in cauis locis fit sanguinis discretio. Neq; quoq; permittit longius procedere sanguis is, ut sors tulerit. Nam ne minus purum nutrimentū traditum corpori carnem malam produceret, illic in gibbo hepatis apposuit uesiculam bilicipem: atq; effecit, ut quod esset subtilius atq; acutius in sanguine, id ad eam uesiculā per pertinentē meatum concederet: quantum uero esset terrestre & crassum, id lien ad se attraheret. Atq; eo pacto discreto humore terrestri ac bili rubeo relictum sereum humorem non etiam hactenus permissum est separari, cum eo modo manere uisum sit etiā renibus adiacentibus. Veruntamen per uenæ truncum, perq; cauitatem hepatis traiectus sereus ille humor etiam usque ad

Sanguinis diuidendi uasa à natura tributa.

Serum sanguinis.

ad gibbũ, atque præſentatus uenæ, quæ Caua nuncupatur, idq; ut ſanguis tranſigeretur (anguſtia enim meatuum magna ineſt in medio hepate, per ſciſſuram uenæ Cauæ, cuius ſciſſuræ figura uocata eſt labdea à græca littera, hoc eſt bicruris, Λ) diſperſus per renes concedit: qui urina ipſa eſt illinc delata. Veruntamen quantum ſanguinis remanſit, id profectum ad cor, nactumq; alterationem meliorem quàm habebat, inde procedens, per uenas diſtribuitur corporis ſingulis partibus ueluti irrorans corporis ariditatem. Ergo primæ concoctionis, quæ in uẽtre fit, ſuperfluitates ſunt tam quæ expuũtur, quàm quæ per inteſtina eijciuntur. Concoctionis uero quæ in cauis hepatis fit, ſuperfluitates demonſtrãtur tã utræque biles, quàm urina. Remanet igitur dicendũ de tertia concoctione, quæ in uenarum genere perficitur. Nanque hac facta demõſtratione, habebitur ſufficiẽs apparatus erga ea quæ dicenda ſunt ſuper cauſis eorum, quæ in urinis inſpiciuntur. Tertiæ igitur cõcoctionis pro-

Excrementa primæ coctionis.

Secundæ.

Tertiæ.

pria ratione superfluitates sunt tam contenta, quæ in urinis apparent, quàm ueluti tenuiores materiæ sudores, & occultæ diuaporationes. Ergo quantum committetur in huiusmodi tertia concoctione, id omne demonstrabunt ipsa contenta. Atque qui sciuerit ob quam causam hæc ipsa transmutentur, is demonstrauerit iudicia ueluti certissima esse. Veruntamen de iudicijs dictum est, decens est ut nunc de causis dicamus, de contentis dicentes ante omnem disputationem. Qua pro re ut antea considerauerimus super causa contentorum, ita reliqua attigerimus, serie decente procedentes. Igitur ut accidere solet in apostematis, atq; quibusuis hulceribus, ita res habet in urinis. Nam si uirtus naturalis cōcoctrix domina fuerit, perparum, aut nihil male olet pus, atq; album, & leuē, & similarem omni ex parte esse contingit. Non dominante uero naturali uirtute, contraria hisce spectantur, asper, dissimilaris, & coloribus differens, grauiter etiam olens, atq; prorsus à sanis diuersus.

uersus. Similiter res spectanda est in cō-
tentis. Nanque quod præuenit, ut in ue-
nis alteratum sit in sanguinem, id in spe-
ciem similem puri transmutatur, domi-
nante cōcoctrice uirtute. Quantum ue-
ro hæc ipsa non dominans aberrauerit,
tantum etiam contenta spectantur muta
ri in species malas. Atque hæc ut dictum
est, se habent: in sequētibus uero oratio
repetenda est.

*De causis cruditatis, quæ solent accide-
re. Cap. III.*


Ruditates in uentre contin-
gere solent ob quandam intē
peraturam accidētem ei. Fie-
ri etiam interdum possunt ob
aliquam passionem instrumenti, ueluti
ob crassitudinem, uel multitudinem, uel
tenacitatem, uel aliquam qualitatem ex
traneam ipsorum humorum, aut ob ali-
quam cibi proprietatem. Sed cruditates
in hepate fiunt tam ob has ipsas causas,
quàm ob debilitatem uirtutis concoctri
cis. Per easdem ac similes causas quoque
opera tertiæ concoctionis fallere repe-

Vētris cruditatū causæ.

Hepatis.

ritur. Atq; unaquæq; cruditas per quas causas minus indipiscatur conuenientē finem, ut breuibus dicam, hæ sunt quas diximus. Illud uero par est non ignorare. Nanque siue colores excesserint mediocritatem, siue recesserint ab ea, crudi habendi uniuersali ratione sunt, & crudi simpliciter sunt uocandi. Quonã modo utrique dicti sint crudi, non huius disputationis est docere, siue obscura fuerit genuina caliditas, siue excesserit ob aliquam quamuis causam externa caliditas. Quandoquidem inflationum, & aquæ inter cutem, & articularis, ac similium passionum genitarum à cruditate ob frigiditatem accidente: item arquatus, & ignis sacri, & tertianæ, ac similiũ ortarum à cruda materia ob dominantē externam caliditatem, caliditati genuinæ ac mansuetæ: harum omnium urinæ diffugientes mediocritatem urinarũ decenter crudæ sunt appellandæ. Cum citra & ultra mediocrem, & secundum naturam, urinam non est reperire meliorē urina mediocri, & quæ secundum natu-

Vrinæ crudæ omnes præter mediocrem.

ram,

ram, prorſus quæ uel exceſſerint, uel receſſerint à mediocritate, appellãdæ ſunt crudæ. Tu uero uel aliud nomen indideris, ut rem definias: non enim ego differentiam fecerim inter nomina, modo nõ aberrarint à propoſita ratione. Hoc itaque pacto ſatis haberi poteſt ex ijs quæ dicta ſunt, cognitio de cruditate & cauſis, unde proficiſcat̃, præſertim ſi ſecundum naturam concoctio fiat à mediocritate caliditatis & frigiditatis, atque ſecundum naturam ſe habentium. At uero poſthac primo dicendum eſt de quãtitate urinæ, quam ob cauſam plus minúsue ꝗ̃ mediocris procurrat. Deinde de alijs deinceps, ueluti digeſta ſunt in ijs quæ de differentijs, & iudicijs.

De cauſis quantitatis urinæ. Cap. IIII.



Rina tum profluit multa, cum homo uſus fuerit cibis multis præſertim humidioribus, atque potu largiore, maxime ſi uinum aqueum eſſe contigiſſet. Demonſtratum autem eſt alijs in locis, ut cibi boni, ſed humidiores, maxime o-

mnium & nutriunt, & defluunt. Vi-
Vinum confestim nutrit. nũ uero potius quàm cætera nutrit, atq;
citius diſperditur. Quamobrem par eſt,
ut uinum abunde bibitum, etiam abun-
de mingatur, quemadmodũ ad idipſum
aqueum uinum maxime habile reperi-
tur. Similiter ſe habent ea quæ cum te-
nuia ſunt, facile minguntur. Cauſas ue-
ro horum affectuum ſecretiorum red-
dendi nunc tempus nõ eſt: partim quia
ab alijs de hiſce ſatis diſputatum eſſe no
uerim ſuis in locis, partim quia præſens
inſtitutio idipſum minus poſtulat. Ergo
decens eſt, ut urinæ appareant maiores,
& tenuiores, atq; decoloratiores. Nan-
que quantum hoc ipſum prouenit po-
tius ob rationem quantitatis: albedo ue
ro & tenuitas à cruditatis imbecillitate
Albedo à cruditate. proficiſcitur, quæ non uſqueadeò perue
nire quiuit, ut dominaretur quantitati
mediocritatem exuperãti. Nanq; ſi præ-
ſtitiſſet, genuiſſet illi & colorem, & ſub
ſtantiam mediocrem, atq; aliqua cõten-
ta decentia indidiſſet. Quod ſi urina ma
ior, quàm quod bibitum eſt, profluxerit
tum,

tum, cum crudi humores concocti fuerint, ob hanc ipsam causam euenisse probatur. Nanque nutritionem sequitur restauratio. Ante hanc uero decet ut concoctæ materiæ superfluitates humidæ seducantur. Decenter itaque in humoribus crudis iam concoctis urina multa apparet. Quinetiam ubi humores crudi concoctique nutrire & humectare corpus possunt, non opus est bibitione, aut pauca, quæ consuetudine potius fieri solet, quæ quoque per uim quandam fit. Eiusmodi uero superfluitatibus indigentibus seductione, hanc renes & uasa urinaria parant: quod uidere est ijs quæ quotidie in hominibus ægrotis, atque parum sanis corporibus fiunt. Sed tamẽ ab hisce multis urinis differũt urinę multæ, quæ apparent ratione crisis in febrientibus: qua non solum superfluitates per renes excernuntur, quæ fiunt crudis humoribus concoctis, uerumetiam per eosdem excernatur omnis differẽtia quorumcunque humorum. Ad hæc diuretica pharmaca efficiunt, ut multa urina

Nutritio est cius quod euacuatur repletio.

Vrina copiosa in crisibus.

Medicamẽta diuretica.

profluat, partim naturali partium subtili tate, partim caliditate: omnia enim ferè diuretica sunt huiusmodi naturæ. Verũ caliditate facilius mouent urinæ multitudinem, partium uero subtilitate procedentia humorum cruditatem scindunt, ac diuidunt, atq; proprietate pharmacorum efficiunt, ut per urinam potius sedu

Diabetes. cantur. In passione quoq; quæ Diabetes appellatur, intemperatura quædam exauctæ caliditatis circa renes causa est. Hæc em̃ ita affecta renes attractabũdos sereæ substantiæ effecit: hi uero ab hepate, uenarumq; omni genere æqua tractatione cito attrahunt, legem naturæ mẽbris nullam seruãtes. At uero quoniam ob hanc rationem accidit egestas, atque naturalis humiditas defertur à tanto humiditatum raptu, sitis non mediocris homini suboritur. Nec minores sunt potus quàm sitis, & urinarum segregationes renibus secundum proportionẽ attrahẽtibus ad se humiditates. Quamobrem multæ fuerunt urinæ, neque hisce minores potus. Vbi uero nulla fuerit mora,

mora, & temperatura bona, neq; inibi adesse poterit cōcoctio. Præter hæc quibus natura uenter siccus est, ab ijs uentris siccitas effecit urinas multas profluere. Superfluitates enim quæ excerni uolunt, ubi uenter multitudinem euacuare non poterit præ passione, quæ natura ei acciderat, ad uias urinæ facto momento feruntur. Illud quoque addendum est, quod maxime fieri solet tam in colliquatione totius corporis habitudinis, quàm in mortificatione contentiuæ uirtutis. Quandoquidem ubi defatigata natura est ob pessimam aliquam ægritudinis affectionem, uirtus humorum contentiua tanquā abijceret illos dissoluit. Ipsi quidem seducuntur festinantes ad exitum. Sed qua nam momētum exeundi capiat, non est similiter cognoscere. Nanq; interdum per sudorē abūdantē uisi sunt profluere, interdū per uentrē, interdum per urinā multā, de qua nūc habetur oratio. Sed casus quibus multæ urinæ, quo modocunq; exeant, hi sunt, reddita causa sufficiēte unicuiq; eorum. Posthac di-

Venter siccus copiosas urinas egerit.

cendum est de pauca urina, quam nam ob causam parua profluat. Dictum est in ijs quæ de iudicijs urinarum, quot modis pauca ueniat urina: dicetur etiã hic recordationis causa, ut singulis proprias causas reddamus. Vrina igit pauca mingitur à siccitate ciborum, paucitate potus, item ab exercitio uehementi, atque à cæteris quæ corpus desiccare cõsueuerunt. Scimus autem, ut cibis siccioribus seductio quæ per uentrem fit, potius apta sit: tum uero caliditas roborata consumens humiditatem corporis, desiccat. Par est in ijs ut pauca urina spectetur. Cum uero satis sit humiditas uniuersæ corporis egestati, & attenuantia illa ueluti minuat ipsius quantitatẽ. Pauca quinetiam spectatur urina ob medicinas & cibos glutinosos claudentes meatus. Hoc enim casu neq; digestio fit nutrimentorum, neque digestionis factæ ipsa digesta discernuntur. Qua pro re accidit, ut nõ ratiõe defectus, sed ob quandam oppilationem, urinæ paucæ appareant. Simile accidit ob humorum crassitudi

Paucitatis urinæ causa

ſitudinem, atq; tenacitatẽ: qui nihilo minus quàm glutinoſi cibi, & medicinæ arctant exitus opportunos, ita ut intrinſecus accidat humiditatem implere, foras uero profluere minorem quàm deceat. Quod ſi pauca urina appareat ob multã euacuationem uentris, manifeſtas cauſas oſtendet nõ etiam mancas: cum iam ſubductio uentris multa uideatur fieri, & multitudo ſuperfluitatis cœpiſſe momentum fluendi per illas partes. Cum enim naturæ opus eſt euacuare totã ſuperfluitatem per cõſuetos meatus, ſi forte alter altero meatus euacuando exceſſerit, per alterum minor quantitas euacuatur. Adde, paucam etiam urinã profluere ob uehemẽtiam febris. Et ſi æger biberit pluſquàm decens, & conſuetum eſt, atq; febris nihilo diſſimilis apparuerit, aut à uehementia illa deſtiterit, certũ eſt omnem humiditatem ſuperfluam inductam corpori conſumere; neq; id ſolummodo facere, uerumetiam incẽdere ipſum pingue, atq; interdũ ubi diurnauerit, etiam dura membra comburere. Vri

Febris acuta.

na item pauca, quæ apparet ob imbecil-
Excretiuæ uirtutis imbecillitas.
litatem uirtutis excretiuæ renum solo-
rum, aut reliquorum uasorum urinato-
riorum, aut etiam totius, euidentem cau
sam habet paucitatis suæ, ueluti fieret
aut ob aliquam intemperaturam, aut ob
passionem instrumenti. Sed qui librum
de causis ægritudinū legerit, is illic edo
ctus cognouerit hæc exactius. Hoc ita-
que pacto de urinarum quantitatis cau-
sis disputatio satis cū sit, hic sistatur. Re
liquum esse uidetur referre causas colo-
rum, atq; post hasce substantiarum, dein
de contentorum: ut omnium facta red-
ditione, & in ijs explicatis causis, facile
unusquisq; credere possit memoratis iu
dicijs, atq; promptissime & dicere & ef-
ficere ea quæ decet in eiusmodi rebus.
Qui enim rationem effectuum ignora-
uerit, hunc puto non facile posse crede-
re iudicijs: neq; si crediderit, posse resi-
stere, ubi commotus à rationibus diuer-
sis fuerit. Hoc itaq; pacto causæ quæ ui
sæ sunt, genuinæ putantur, & prædican
tur esse scientiæ de urinis. Similiter ag-
gredi

gredi diſputationem de cauſis colorum operæprecium eſt.

De cauſis urinarum albarum. Cap. V.



Bi de albarũ urinarum cauſis primo dixerimus, quẽadmodum in iis quæ de differentiis & iudiciis urinarum diſputauimus, ita quoq; de cauſis aliorum colorum tractabimus, ordine illorũ hic quoque ſeruato. Igitur (ſicuti ratione demõſtratum eſt) cum exacta & mediocris in hepatis cauis locis facta fuerit cõcoctio atq; diſcretio, ita ut terreſtris humor perfecte dimiſſus ſit lieni, quod humoris non facile habeat reſtaurationem, ſereus uero humor ſequatur unà cũ ſanguine ob utilitatem quam illic diximus, bilis uero rubeæ pars maxima, atq; propè tota cumulata appareat in ueſicula fellis; nanq; eius pars quædam cum ſanguine remanet, tum ut ipſum ſubtilem efficiat, ac facilem ad reſtaurationem faciendam, tum etiam ut adiuuet ſerũ, dum tranſeundum eſt cum ſanguine. Nanq; mordaci affectione qua pollet, irritando

Humorum ſequeſtratio.

Bilis effectus.

1. Orina in cuoro bianca la mattina, tempo à digiuno, e sia dopo mangiare rossa con bianco, significa l'huomo sano nel suo corpo. C 3. dell'Orina dell'huomo.

uim excretricem simul cum urina exit, cum apparuerit inutilis tertiæ cōcoctionis. In quo mista cum urinæ colore mediocri illum afficit, ueluti & ratione, atque sensu compertum est. Nempe colores urinarum eousque participant sanguinis apparentiam, quousque splendor humorē radiās pulchrefacit. Id aūt esse sanguinis munus creditur ijs, qui acute cernere ualent. Et hæc quæ dicta sunt, audienda sunt de temperata urina. Verun tamen quod eiusmodi rubea bilis interdum excedit, interdum deest, par est ut & tingat urinam, & colore priuet, ita ut ipsa uideatur aqua, ut antecesserint causæ in utroque casu. Decet etiam ut quales fuerint differentiæ in ipsis causis, tales appareant differentiæ colorum in urinis. Quamobrem in albis coloribus præsertim, cum urina fuerit crystallea, uel aquea, quisquam cognoscere poterit naturæ cruditatem omnimodam ortam à frigiditate, aut maximā oppilationem præsertim meatuum urinam sequestrantium, aut bilē ipsam quæ tingit, ad alias corpo-

Sanguinis notæ.

Vrina alba

a. Se l'orina è grassa, et torbida à modo di pescio, è buona orina: ma spesse volte tali orine indicano gran dolore di testa, quando durano, massime à digiuno.

corporis partes transfluere. Vrina uero quæ albedinem remissam ostendit, præsertim quæ uergit ad glaucum, & charopum colorem, non ita facile præsentatur ob transpositionem rubeæ bilis, quæ aliô forte mittitur: sed potius ob debilitatem uirtutis alterantis, & concoquentis humores, producit, quod nemo prudentium inficias ire poterit.

Albedo remissa.

Aduersus eos, qui urinas usquequaq; à sanguine colorari defendũt. Cap. VI.



QVidam sunt qui arbitrantur urinas à sanguine colorari. Aduersus quos pauca quædã scribere decreuimus, ut eorũ errorem corrigeremus. Scimus igitur sano manẽte corpore, præsertim si humores in mediocritate consistant, naturam nunquam excernere aliquem ex humoribus, qui alere corpus consueuerunt, cum eiusmodi nutrimenti semper indiga sit. Quinetiam si natura tot machinetur pro nutritione animalis, atq; semper desit à completa, non parum absur=

Natura nullum humorem necessariũ excernit.

3. Orina se è grassa, e bianca come cenerata, che procede da pugna di più humori, e massime frigidi, denota sopra stare in breve febbri quartane.

dum eſſe uidetur ſanguinem unà cum urinis excerni. Adde, ſanguine rubeo cũ urina ſubalbida cõfluente, oportere urinam apparere ſubrubeam ſecundum naturam. At hoc à ſanitate tantum recedit quantũ uim rubei coloris incuſſit. Quin etiam quidnã prohiberet ſanguine ſemper abundante, ut non etiam ſemper urinæ eiuſmodi ſpectarentur? quales ſecundum naturam eſſe, ratione demonſtratũ eſt. Præter hæc non etiam id conſentit cum eiuſmodi uiris. Nancꝫ rebus augentibus bilem in corpore, urinæ multæ bilioſæ generantur: oportebat enim magis colorari à ſanguine aucto. At hoc lõge aliter ſucceſſit, quàm uiri illi opinati ſunt. Quinetiam qui eiuſmodi multum bileas urinas mingunt, etiam multam bilem & euomere, & egerere ſolent. Atque qui animaduertere uoluerit, is perſuadebiť eſſe alias urinas mediocres, ac hiſce uicinas, quæ à rubea bili non à ſanguine colorãtur. An aũt aliqua urina uel à ſanguine, uel à bili nigra coloreť, paulò inferius demõſtrabitur. Vbi ergo iã nouiſti,

Color ſanguinis in urina.

4. Quando l'orina è sanguinosa significa lesione della vescica, & corruttioni di humori; e denota male di fianco, e della [illegible]. e nelle donne male di madre.

uisti, quis nā humor maxime tingat urinas, didicisti quoque cur in urina interdum colores nō adsint, iamq; relinquēs urinas has albas: hinc perquàm facile cognoueris in cæteris urinis colorationes, repetita tractatione de coloribus. In quo cū contingat te dubitare (id aūt quod manifestum atque explicatum est omnibus in locis, tutius est ad capessendam disciplinam) non etiam nos siuerimus te uexari ab aliqua occasione, unūquenque è coloribus, qui iampridem aliis in locis demonstrati sunt, ostendēdo, quā ob causam eo pacto urinas colorēt. Accidere enim potest, ut si non didiceris, multa ignores. Igitur ultra urinas albas apparent subspiceæ, atq; spiceæ: quæ iam uim senserunt uirtutis alteratricis, & concoctricis. Quandoquidem (ut sæpe dictum est) ubi bileus humor non indeptus sit concoctionem decentem, tū urinas albas apparere, atq; principium colorationis esse subspiceum atque spiceum: decenter quisquam in hisce poterit existimare cōcoctionis prin-

Subspiceæ atq; spiceæ urinæ.

f. Orina poco camuccata si come fusse bollita, denota dolori di reni, e di altri luoghi.

cipium sumpsisse cibum qui ad nutriendum assumptus est, atq; colorem genuinum iam excitari apparere, mediocriterq; materiæ dominari, ac si non perfecte, sed mediocriter natura attigisset cõctionem. Nanq; ubi bilis crocea sufficienter concocta est, ipsa à sui nominis proprietate indicium facit cuiusnam coloris sit. Veruntamen si intensionem susceperit, tum apparebit rubea, & uiolacea, & cærulea, & brassicea, & subnigra, ita ut iamiam ad nigram bilem transitura uideatur. Quemadmodũ contrà amoto colore, qui secundum naturam apparet, color subcroceus succedit, atq; subaureus, & spiceus, & subspiceus, atque citra hosce, qui deterior est. Cum igitur hæc ita habeant, par est ut hoc pacto introducatur oratio. Vbi mediocris, atq; ut decet, concoctio fit, tum crocea, atq; aurea bilis generatur, & urinæ apparẽt subcroceæ, atq; subaureæ, colore bilis remisso ob mistionem sereæ humiditatis, cuius color albus est. Quamobrem si dictum fuerit colores eiusmodi esse urinarum

Croceæ à bile mediocri.

Mediocris coctionis urinæ color.

6. Orina che mena rena ò bianca, ò rossa, ò nera, mostra la uescica guasta; et esce cun tormento.

rum mediocrium, qui miſtiones ſunt è colore croceo atq; albo, non erit oratio ab eo quod decet, aberrans.

De cauſis ſubſpiceorum & ſpiceorum contentorum. Cap. VII.



Ontenta ſubſpicea (nam hoc pacto de eis quoq; dicendum eſt) deteriorem indicabũt tincturam, quæ fieri ſolet à bili, quæ concoctione diminuta eſt. In quo, ſi quiſquam conſiderans eiuſmodi ſubſpiceos colores, perparũ à ueritate aberraturum illum putamus, ſi eiſdem rationibus in cæteris coloribus utat̃. Nanque ſpiceos colores in urinis apparẽtes dicere poterit eſſe immiſtiones ſubcrocei atq; albi coloris, qui ſereæ ſubſtãtiæ eſt, ueluti ſubſpiceus color generatur è miſtione ſpicei, atq; ſero ipſarum urinarum, idq; cum in concoctione quodam modo fuerit peccatum. Et de ſpiceo colore urinarum eiuſmodi ratio reddi poteſt. Nunc uero de reliquis coloribus dicamus, ut uniuſcuiuſq; cauſæ reddãtur. Veruntamen, ut noſti, dictum eſt quæ

Subſpicei colores à bile quid portendant.

7. Orina sanguinosa, e formata come di pelli di sangue, significa la milza guasta, ò leso il fegato, ò ulcerata la uescica; et inclina l'huomo à hydropisia.

ſint urinæ mediocres, & quam ob cauſam ſint ſubaureæ, & ſubcroceæ: poſthac de urinis aureis, atq; croceis apparentibus referamus.

De cauſa aurearum, & crocearum urinarum. Cap. VIII.



AVreus & croceus urinarũ color facit unumquẽq; exiſtimare humorem ipſum bileũ, aut quantitate, aut qualitate intenſum, proceſſiſſe eò, ut & coloratior atq; acutior eſſet. Siquidem cum ultra croceum & aureum bilis color proceſſerit, urinæ manifeſtò apparẽt ratione miſtionis colorum diuerſorum.

De cauſa ſubrubearum ac rubearũ urinarum. Cap. IX.



VRina ſubrubea & rubea producit aut à miſtione rubeæ bilis, aut à ſanguinis ſanie, quæ momentum ſequeſtrandi per urinam fecit. Bilem autẽ rubeam interdum apparere, medicorum eſt perſuadere. Ego uero ſæpenumero uidi bilẽ eiuſmodi, ueluti in quodã, paulíſper anteq;

febris

a. Orina in tutto rossa come sangue, non mouendo, getta in febri continue.

febriret. Tũ enim uenter egeſſit ſubrubea excrementa, & urina ſimilẽ colorẽ præſentabat. At uero non oportet orationẽ producere in ijs rebus quæ euidentes ſunt. Illud potius referre conuenit, quæ urina appareat ubi exauctus fuerit ſanguis ſanioſus. Vbi igitur abundauerit ſanguis, non etiam facile ab eius naturali ſpiritu uentilatur. Nam cũ arctata ſint ueluti eius uaſa à multitudine, tũ ſanies quædã ingeneratur in ipſo ſanguine. Quemadmodũ in corporibus, quæ nullo modo uentilantur, atq; humiditatem quandã participantia iam in putredinem uergũt, pus quidã generatur, qui à grammaticis appellatur ἰχώρ, hoc eſt putreſcẽtiũ corporũ pus: uulgo uero dicitũ ὀμίχλη, hoc eſt uligo. Hæc ipſa ſunt ſigna mutatiõis, quæ ab aliqua cauſa inducta eſt, ſed ſignificantia id quod non hactenus putrefactionẽ accepit. Ergo in ſubrubeis urinis apparet in ſanguine generatam eſſe ſaniem quandam, qualis eſt uligo, quæ ſingulis diebus ſpectatur in corporibus humidioribus, quę ſanies

Sanguinis ſanioſi urina.

Vrina corporum non libere perſpiratorũ.

9. Orina torbidissima, e guasta di subito, significa corpo esser guarito dalla febre.

propulsa à uirtute secretrice dirigitur ad seductionem. Sanies enim ea, quum rubeo colore sit (est eñ ueluti sanguis corruptus) fueritq; prorsus collecta cum sereo humore, illius colorẽ alterando mutat in suum. Veruntamen abesse à perfecta rubedine spectatur: aquescit enim ita ut eadẽ substantia esse uideatur, qua est humor ipse sereus. Quinetiam nec latere illud oportet. Nam & si quadam ex parte sereus humor tingat urinam, id tamen obfuscatur in mistione, tam ab excedentis saniei substantia, quàm à colore: atq; hoc pacto subrubeæ urinæ causæ reddi possunt. Rubea uero urina gignitur, aut ob nimiam multitudinem bilis rubeæ, aut ob saniem multã sanguinis, quæ motum omnem exeundi cum urina fecit. Hæc enim multitudine excedentia parum apparere sinunt mistionẽ serei coloris. Quinetiam cum exacte rubea sit urina, & coccinea, demonstrat sanguinem ab aliqua parte profluxisse: aut cum scissæ uenæ alicuius earũ quæ circa urinaria uasa digestæ sunt, aut scissi uasis

Saniei color.

Rubeæ urinæ.

10. Urina in [illegible] bianca non mouendosi di colore punto, signif.a impedimento della Concotrice, e difetto di stomaco raffreddato: onde confortalo, e scaldalo.

uasis alicuius ex ijs quæ in renibus uri-nam emungũt, hiatus aut laxitas immo-dica manserit. Qua pro re accidit ut ab hisce nõ parũ substãtiæ sanguinis ipsius profluat, afficiatq; suopte colore urinas. Sed sermo super sanguine misto alijs in locis clarior habebitur, qui in hoc loco inopportunus est. Nanq; de urinis, non de mictu sanguinis disputare nunc pro-positum est nobis, cuius oratio dimitta-tur. Posthac uero dicendum de colore uineo uocato, atque de alijs qui dein-ceps sequuntur.

Ruptionis uenæ signũ

De causa urinæ uineæ. Cap. X

QVinam sit color uineus appel latus, in ijs quæ de differentijs urinarũ, explicauimus: quidq; significet, docuimus, ubi de iu dicijs actum est. Nunc uero subiungen da est oratio de causis, ob quas isce co-lor produci soleat in urinis. Igitur in ijs qui multa tractarunt atq; laborarunt, ac cidit, ut urina eiusmodi coloris appare-at ob sanginis subassationẽ. Nãq; ubi as-siduus, & uehemens motus sanguinem

Assatos hu mores uri-na referẽs.

11. Orina, che viene à gocciola à gocciola, denota lunga e grande infermità di tt.º il corpo.

calefecerit, atq; plus iusto inflammauerit, desudareq; in urinarijs meatibus effecerit, tum collectione utrorunq; color uineus productus apparet. Neq; cuiquã id mirum sit, ubi etiam globuli sanguinis spissi in cute sudorificati diffundi uideantur, cum & à labore & solis æstu interdũ homo corripiatur. Ego quinimò in quodam iuuene id ipsum memini me uidisse. Nanq; ipse amiciq; complures sub Canis ortum ab urbe profecti uenimus ad nundinas quasdã oraturi sanctũ qui illic maximopere à cunctis uenerabatur, atq; illic distenti sumus spectãdo multa ob ornatum uisu digna. Neq; eatenus tertia diei hora elapsa erat tum, cũ eò perueneramus. Atq; post uota facta deo, paulisper etiam immorati sumus. Iamq; meridies aderat, cum redire cogitauimus. Ergo sole adusti ad crepusculũ domum peruenimus, maximo per eam diem labore tolerato. Nã partim quia nemo nostrum consueuerat, fatigati longa uia, & æstu, partim etiam quod unusquisque erat molli corpore, uehemens

Historia.

æstus

11. Orina di donna, rossa, ò bianca, che rende l'orinale come oro, ò argento et ella nō habbia gusto di mangiare denota senza dubbio gravidanza: si guardi dal sole, e da gran fuoco, da gran fatica, e da melancolia.

Item, orina di donna, rossa, in fondo che fa in fondo una posata come un cerco bianchino che pare un cettore; significa gravidanza: e se l'orina hà odore forte el nato, significa maschio; se nò, femina.

æstus nos corripuit. Veruntamen ipse statim tempore nocumento illo solutus sum: unus uero ex eis qui nobiscum uenerant, qui etiam molliori cōstabat corpore atq; facile affectili, eratq; ipse quoque homo liber, ut præ se ferebat, nocumentum ob uiam & æstum suscepit. Nā postera dies demonstrauit ut ipse ab itinere eo offensus esset: uenter enim eum stimulauit. Qua pro re accessit ad chytropodam, atq; subnigrū humorē excreuit. Quē ubi aspexit, iussit absportari, ac ueniens ad me passionem enarrauit, rogauitq; quod nam sibi uellet eiusmodi excrementorum mutatio. Igitur ipsum cum nouissem consuetū esse scissioni uenæ, atq; multo iam exacto tēpore nihil usum esse eo more, item esse calidum hominem, atq; ad patiendum habilem, addens quoq; hesternū iter, tum certo cognoui, ut sanguine tanquā sudorificato per superficies internas uenarū, atq; assato, ac deinde attracto ad uentrem, directóque ad egerendum, ac tandem excreto sede apparuerit eiusmodi excre-

---

13. Parimente di donna. orina chiara, ma con qualche particelle di sangue; denota duolo di testa, e gravezza di stomaco, e cibi [illegible]. Item colore di ruggine, ò spugna, mostra febre 4.a e nel 3.o giorno è mortale. Item di colore di piombo, e puzzolente, lesione nella matrica.
Item bianca con certe nuvolette sparse, denota mali, e crudi humori, e duolo di reni; e se puzza, male di madre.

mentorum genus. Quam ob rem hinc raciocinatus de uineis urinis, subiunxi etiam hoc in loco, ut generentur ab eisdem causis, in quo oportet studiosum fidem adhibere rationi. Et hæ ipsæ in sanis corporibus & dicuntur, & apparent. In ijs uero, qui à febribus uehementibus corripiuntur, urina demonstrat saniem sanguinis abundare, atque putrescere quoq; & audiri: quinetiam tam saniem, quàm sanguinem transformari in speciem bilis rubeæ, atque diffugisse ideas exactas colorũ utrorunq; humorum usqueadeò, ut nihil proprij remãserit: uineum uero colorem, ita uocatum, produxisse colorem sanguinis trãsmutati in bilem. Atque ratio de colore uineo hoc pacto redditur.

Vinea in febribus.

De causa urinarum passearum. Cap. XI



PAsseus quoq; color longius à mediocritate manet, atque maiorem alterationem adeptus est. Siquidẽ à bili crocea mediocri ratione generata, mediocris urina proficiscitur. Quantum uero illa ab

14. Orina uerde, ma chiara, come brodo di cauoli, sign. doglia di reni, e mala dispositione di tutto il corpo.

ab eo quod par eſt, exceſſerit, tantũ quoque urina mutari demõſtratur. Crocea bilis nimirũ eiuſmodi exaſſata, atque ueluti uiolacea effecta, adeò ut paruo quodam momento indigeat ad tranſeundũ ad ideam humoris melancholici, ubi penetrauerit uenarum ſubſtantiam, paſſeũ colorem in urinis oſtendit. *Paſſea à bile crocea.*

De cauſis urinarum uiridium.

Cap. XII



Rinarum uiridium ita uocatarum quæcunq; ob liquefactionem pinguis generãtur, hæ clariores, atq; ad oleaceũ colorem uergentes producuntur. Fiunt autem eiuſmodi urinæ à miſtione pinguis colliquati, quod in oleaceum colorem mutatum eſt à circumueniente febre. Quæ uero ad nigredinem magis inclinant, hæ adumbrata uiriditate fulgent, ſed multitudinem uiolaceæ, atque ceruleæ ſic appellatæ bilis oſtendunt. Hæ enim quæ multum uirides ſunt, parua quadam mutatione indigent, ut ad nigræ bilis ſpeciem tran- *Virides urinæ.*

15. Orina verde, ma torbida, non è buona: sign. corruttione delli 4. humori, et è mortale.

ſeāt. Ab hiſce nanq; nigri colores generantur. Atq; uiridis color, ut dictum eſt, fit ob exceſſum prauiſſimæ bilis exauctæ quātitate & qualitate, atq; ad aliud bilis genus iam adductæ.

De cauſis urinarum uenetarum, & liuidarum. Cap. XIII.



VRina ueneta atq; liuida, item etiam nigra, & à frigiditate & ab humore nigro generātur, differentiaq; qua mutuò differunt, oſtendunt quantitatem & qualitatem humorum eiuſmodi urinas tingentium. Similitudine uero ſpeciei arguūt utilitatem illorum. Communicant enim ſpeciem unam coloris. Neq; paruā differentiam inter ſe habuere ab intenſione & remiſſione coloris. Quinetiam neque ſemper eiſdem cauſis omnes productæ ſunt, ſed ueluti diuerſo modo. Quandoquidem ueneta ob caliditatem non fit eiuſmodi, neq; liuida quoq;, ſed interdū ob frigiditatem, interdum ob nigrū humorem. Sed liuida ſuperauit uenetam, qua fit ob plagas, interdum & lora incuſſa

Veneta urina fit uarijs de cauſis.

16. Orina nera, ma chiara, sign. male di fegato, ò milza, e dispositione à mal longo. cavàti sangue.

cussa homini. Niger uero urinæ color, & ob frigiditatem ualde exauctam, & excessum caliditatis, & ob influxum humoris nigri, atque ob extremam mortificationem. Quæ, ni fallor, etsi in ijs quæ de iudicijs transacta sunt, nunc tamen subiunxerimus causas, quæ eis congruere existimãtur. Igitur liuida quæ ob plagas fit, ostendit magnam sanguinis mortificationem factam esse. Plagis enim distrahentibus, atque mortificantibus sanguinem, sanguis uero mortificatus subnigrescere consueuit, qui serò tandem à uirtute excretrice per uentrem pulsus simul & per urinaria uasa ostendit huiusmodi urinas, atque etiam excrementa. Interdum uero momentum exeundi sumẽs per alterum meatuum, alterũ prætermisit. Quod hac ratione capitur. Nanque quæ urina nequiuit demonstrare, hæc uenter excernens ostendit: ueluti contrà, quæ uenter non potuit excernere, hæc ipsa demonstrarunt urinæ. Vt ipse interdum spectaui urinam albam atque tenuem, excrementa uero perquàm

Nigra urina.

Liuida.

Vẽtrem sæpẽ contraria urinæ excernere, & rursus.

17. Orina nera, che tira al colore di vin nero; ma torbida, sign. commottione di humori, mortale.

28. Orina bianca, come acqua chiara, con schiuma sopra l'orinale come squama di pesce lucente, ò faville di fuoco; minaccia sempre morte, sì à huomo, come à donna. 8.

fellea uidi. Quemadmodum aliâs alba excernente uentre, non paucam bilem adesse corpori urina significauit. Verum tamen cum hoc ipsum munus sit iudiciariæ facultatis, in illa relinquantur explicanda. Nunc uero quæ deinceps sunt sequendo dicamus. Veneta igitur & liuida & nigra denunciant, ut ipsarum bilē colorauerit bilis nigra, testanturq́ frigiditatem non aliter quàm caliditatē, præsertim in urinis nigris. Frigiditatem autem solere nigrificare humores, quemadmodum immodica caliditas, discere est ex hisce. Frigiditas enim contrahendo spissat corpus, ueluti assidue uidere licet in nubibus. Hæ enim quantū spissitudinis admiserint, eò nigriores spectantur pellucescentia abeunte ob spissitudinem. Quinetiam nihilo secius ob mortificationem profectam è frigiditate, solet nigrescere urina. Is enim color proprius est mortuis corporibus. Quoniam uita contra iacere dicitur morti: omnino etiam propria uiuentium forma, qualitas, atque color contrapositi esse probantur

Frigiditas ut immodica caliditas densat, & nigram reddit urinam.

Ex diametro uitæ & mortis colores dissident.

tur proprijs mortuorum. Atqui si sub albida, atque subaurea sanis reddantur, quænam reddi possint magis propria mortuis, si non nigra, quæ sortita sunt colorem hũc omnium extremum? Caliditas quinetiam solet nigrefacere, urinam exassando, & adurendo materiã contentam in uenis. Quemadmodum etiam in carbonibus extinctis apparet. Hi enim ab ignis caliditate nigrefiunt, suscipientes illam in humiditate, quæ in eis inest. Singulis etiam diebus spectaueris homines quorum extremæ partes liuidæ atq; nigræ effectæ sunt ab excessu frigiditatis. Qui & hulcera quædam praua etiam Anthraces appellata, quæ uergunt ad nigrum colorem ob immodestiam caliditatis. Ego nimirum memini uidisse urinam nigram, cum frequenter adessem, ubi medici uersantur. Venit quidam matulam ferens, in qua urina ueneta & subtenuis spectabatur. Veruntamen is ubi urinam fecisset, nequiuit uenire erectus, sed uenit ualde incuruatus, atq; senserat circa renes uehemen *Historia.*

tes dolores. Retulit quoq; priusq; incisa ei fuisset uena, mediocriter doluisse renibus, atq; satis sanguinis fluxisse. Postea uero dolores uehementer exauctos, ita praue affecisse hominē. Erat aūt tum hybernum tempus, atq; fortuna quadā plusquàm decebat frigidum. Igitur hæc uidens, & audiens, consideraui immodicam quandā frigiditatem in causa esse, dixiq; opus esse, ut calidioribus uteretur. Vos autem decet eiusmodi res contemplari, atq; discere eniti, ut frigiditatis excessus sæpenumero urinas eiusmodi repræsentet. Sed oratio de causis colorum, tum quia satis, ut arbitror, tractata est, hoc pacto habēs hic relinquatur: tum etiam quia aliæ quæstiones in hisce quæ de causis urinarum disputantur, pertractandæ, orationem ad se rapiunt. Redditio igitur causarum in ijs quæ particularia sunt, longa, ut arbitror, oratione indigebit: neq; eam ualde certam indipiscetur eò, quoniam particularia nulla mensura, numeroq; nullo definita esse compertum est. Quinetiam ijs qui uni-

uersalibus

uersalibus quibusdā definitionibus, quo ad fieri potest, determinauerunt generalia, atq; reddidere illorum causas, superuacaneum esse uidetur, si iterum interrogauerit particularia, quæ in uniuersalibus definitionibus comprehenduntur. Præter hæc, conuenit ut facta disputatione de substantia urinarum reddantur causæ, quæ illarum esse existimātur. Cū igitur duæ sint qualitates actiuæ & effectiuæ, duæ item passiuæ, ac in unoquoque harū quælibet sit aut dominans, aut subiecta, omnis concoctio, & cruditas gignitur, in quibus omnes species urinarum fundantur. Concoctio enim (ut ait philosophus) est perfectio à calido naturali & genuino, facta ex passiuis oppositis. Hæc autem sunt propria in unoquoq; materia. Cum enim ipsa concocta fuerit, tum perfecta est, & extitit, atque principium perfectionis à caliditate genuina iactum est. Quamuis etiam ab aliquo externo auxilium ad perficiendum præstetur. Finis uero ad propriā aliquā, atq; definitam speciē transigitur.

Particularia ex uniuersalibus colligi debere.

Concoctio quibus perficiatur qualitatibus.

Cruditas.

Cruditas autem accidit ob horum ipsorum contraria, scilicet qua materia non regitur à calore naturali, aut ob eius prauitatem, aut excessum, aut ob aliquam intemperaturam, quæ occupauit genuinam caliditatem. Atq; (ut de hac re summatim dicam) concoctio est à caliditate genuina mutatio cuiusuis materiæ ad speciem propriam concoquente, quæ illam definiat. Nanq; cum materia fuerit mediocris, eiq; naturalis caliditas fuerit dominata, tum concoctio fit secundum ipsius rationē. Atq; superfluitatum sequestrationes capiunt substantiã secundum proportionem expetitam.

Concoctionis finitio.

De causa substantiarum urinarum.

Cap. XIIII.



Rinæ substãtia mediocris apparēs, etiam concoctionem exacte factam ostendit. Atq; quantum illa à mediocritate distiterit, tantum quoq; concoctionem à perfectione aberrauisse, aliquoq; modo cecidisse demonstrat. Quoniam uero urinæ tenues atq; crassæ, & quæcunque

que mediocrem ſubſtantiam diffugiſſe uidentur, ut diuerſam aliquam ſubſtantiam indeptæ ſunt, ita arguunt naturæ ipſius incoctionem: decens eſſe probatur ut cauſæ earum reddantur, ut congruere putantur. Igitur quia genuina caliditas dominando cibo & potui comeſis atq; humoribus internis, ſuapte natura concoctiones, ut decet, effecit. Sin uero acciderit aberrare aliquo pacto, cruditas in hiſce aderit, ut iã dictũ eſt. Atq; tenues urinæ apparẽtes demonſtrant caliditatem genuinã decidiſſe ab eo quod conuenit: aut quia ſuperata eſt ab aliqua potente frigiditate: aut quia extranea & corruptrix caliditas aliqua occaſione præcedens, occupat caliditatem genuinam, atq; naturalem, ita ut hæc obſcuretur, atq; ab actione propria prohibeatr. Id autem ita ſe habere uidere licet in cibis qui elixantur. Nanq; minus elixãtur ab igne illa quæ contigit elixari ſub ſole uehemẽter radiãte, quàm quæ in umbroſo, & à ſole minus illuſtrato loco. Veluti quoq; quæ cõtigit ſub aëre maxime fri-

Subſtantia urinæ quæcunq; à mediocritate aberrans, incoctionẽ præſagit.

Vrinæ tenues.

Simile.

gido elixari, minus elixãtur, quàm quæ in aëre tepido elixantur. Illic enim solis calor calorem ignis attrahens, hic uero uehementis frigoris uis caliditati ignis repugnãs, efficiũt ut minus in ĳs coquẽda elixentur, quàm quæ non in eiusmodi locis elixantur, tanquã nihil impedimẽto esse cõtingat. Quamobrẽ hinc accidit ut obsonia minus cocta sint. Quinetiam quæ sub diuo æstuante aut frigido elixantur, ea incocta sunt eo tempore quo cocta sunt ea quæ in umbrosa & calidiore domo elixantur. Idem etiã discere licet in lucernis. Nanq; ubi lucernæ minori maiorem admoueris, tum minor ab excessu maioris languescet, si nõ etiam extinguatur. Atq; hic sola quantitate uariata lumina idipsum patiuntur: illic uero etiam differentia qualitatis, quæ in eodem est genere. Quamobrem oportet uirum prudentẽ intelligere cõpositionem ex utrisq; differentĳs, idq; quærere pari ratione ĳs, quæ fiunt in erroribus concoctionis. Nam quantũ cõcoctrix & alteratrix uis ab aliqua qualitatum

Lumen maius obfuscat minus.

tatum

tatum actiuarum prædictarum passa fuerit, tantum substantiæ produxerint mediocrem uersus tenuiorem substantiam. Idq; maxime accidere uidetur, ubi intẽperaturæ simplices fuerint intensiores. Vbi uero uis concoctrix non per se patiatur, aut ab aliqua intemperatura, sed ab aliquo excessu materiæ, tunc potius urinæ crassiores apparebũt. Decet quin etiam, ut si tractu temporis genuinus calor languescat, aut contrà materia ipsa excrescat, urinæ diuersæ & crassæ spectentur. Et cum natura concoquere aggrediatur materiam, quam nondum omnem perdomuerit, urinam de tenui in crassam mutari ostendit. Quin cum uel à frigiditate dominante, uel ab externa caliditate impedita minus assequatur ut efficiat officia sua, qua nõ circumueniẽs aggrediatur concoctionẽ, urina tenuis profluit, atq; genuinæ caliditatis magna debilitas adesse demonstrat̃. Ad hæc, cũ natura cœperit materię dominari, ipsam habilẽ ad terminandum efficiendo, qua minuit illius malitiã, ac materiæ reliquũ

Calido & frigido urina pro portione respõdet.

Tenuis urina calidum innatum languescere significat.

excitatur, atq; crassescit mediocre quod dam capiens momentum eundi ad bonum, tum concoctionis principium indicatur. Nanque cum à principio urinæ apparuerint tenues, idq; non ob aliquã nudam intemperaturam, nunquam ad mediocritatem fieri poterit mutatio, si prius in eis non ingenita fuerit crassitudo. Illæ enim urinæ ueluti & experientia & ratio demonstrauit, arguunt magnam uirtutis debilitatem, atq; eò potius quò cum coloribus prauioribus inspectantur. Crassæ uero indicant pugnã quandam naturæ, atq; certamen ueluti nitẽtis, ut dominetur materiæ, atq; iam iam forte dominantis, si non apparuerint in urinis substantiæ uehemẽter crassæ. Hic enim par est, à materia tãta subactã naturã succubuisse. At uero quod fas est quosdam opponẽdo dicere: nanque si tenuia extremæ cruditatis sunt, mediocria uero optimæ concoctionis, oportebat subtenuia sed non crassa apparere signa naturæ indulgentis concoctioni. Quibus respondendum est ut decet,

A principio tenues manentes urinæ.

Crassæ.

cet, atque explicandæ ſunt quæ exiſtimã-tur eſſe ipſarum urinæ ſubſtantiarum. Igitur cum hominum qui à morbis cor-repti ſunt, alij ob intemperaturam nudã aliquam exauctã patiuntur, alij ob abun dantiam alicuius materiæ, qui ob intem peraturam ægrotant, ut dictum iam eſt, ab ijs potius tenues urinæ profluunt. Qui uero ob aliquam materiam plus iu ſto exauctam dolent, ab ijs in initijs æ-gritudinum frequentius urinæ tenues minguntur, quæ procedente tempore craſſeſcunt. Interdum etiam ab initijs uniuſcuiuſque craſſæ inſpiciuntur. Quo-rum ſuper unaquaque referendũ eſt quod decet. Igitur eorum qui ob nudã quam-cunque intemperaturam ægrotant, urinæ perquàm tenues apparent, minus uero tenues ſpectantur oppugnãte etiam na-tura: ſicuti mediocres proueniunt, cum dominata fuerit. Nanque horum ipſorum primum accidit ob extremam naturæ ſo lutionem nequeuntis aſſurgere eò, ut munia ſua efficeret, ita ut urinæ materia prorſus inelaborata relinquatur. Alte-

Ob intemperiem tenues.

A materia

Causa tenuis urinæ.

rum uero ob paruam ipsius restauratio-nem, qua iam incumbit. Tertium quoque ob dominatum nullo alicunde impedi-ente. Testabuntur huic rationi etiam co-lorũ mutationes. Atque ob eiusmodi cau-sas apparent urinæ tenues, & subtenues eorum, qui ab aliqua nuda intemperatu-ra correpti fuerint. In eis uero qui mi-nus sanè habent ob aliquos humores, qui excesserunt, etiam diutius urinæ ap-parent, nondum incumbente natura, pe-rinde ac si adhuc esset passio cruda. At-que quantum urina fuerit tenuis, tan-tum cruditas adesse existimatur. Cum igitur tãta fuerit materiæ cruditas, nihil ea ratione paratur ad sequestrandũ, uir-tute retentrice, materiam ipsam quoque continente, atque uirtute naturali præ uiribus nitente concoctionem infigere. Ergo cum hoc ita habeat, atque neque na-tura queat concoquere materiam, neque cibus ac potus foris suppeditati mensu-ris concoctionis exquirantur naturali uirtute intenta ad maiora: fit ut ob hoc tenuis urina non crassa ob illud appa-reat,

Tenues diuturnæ.

Diuertitur enim natura ab opere suo in cibum recens sumptum.

reat. Veruntamen ubi natura domine- tur materiæ, tum cruda concoquuntur: præsertim si per uentrem ac urinam se- cedere debeant, tum urinæ demonstran tur habere crassitudinem nõ mediocrẽ. Subducta nanque materiæ superfluita- te, usque ad exitum dominante quodam modo concoctrice uirtute, etiam urinæ demonstrantur crassæ. Qua pro re ple- riq; ab hoc signo coniectantes superflui tatum momentum eundi deorsum, ausi sunt prædicere futuras esse uentris ex- cretiones non paucas. Sed cum idipsum sit pars facultatis prædictoriæ, par est ut seruetur quousque illuc uentum sit. Nos uero ab ijs quæ sunt nobis euiden- tia, subiunxerimus etiam hoc ad propo sitæ rei confirmationem. Nanque con- sueuere in superficie huius corporis tu- mores quidam uarij generari. Quo- rum alij non unquam quicquam puris, aut puri similem humiditatẽ continent, ita ut quoties ipsos discideris, carnẽ in- ueneris extraneam. Alij uero attrahẽtes ad se cunctam materiam, tractu tẽporis

Tumorum & hulcerũ ex urinis prognoi- stica.

concoquunt, atq; alterant in puris speciem. Deinde siue casu, siue arte superfluitatē puris euacuauerint, ad id quod secundum naturam est, reuertūtur. Sed tum tumores hosce si in initio discideris quoniam passio adhuc cruda est, nihil humiditatis hauseris præter sanguinem natura congruentem membris. Sed si in initio cōcoctionis eos sciueris, inspexeris purem subcruentum. At si in ipsa uehementia seruaueris tumorem integrū, ac deinde iam protracta concoctione diuiseris, aspexeris purem syncerum, atque concoctum fluere. Hæc sunt comparanda à te cum urinis, ô uir optime. Nam in illis cruda etiam manente passione, nihil in urinis, cæterisq; secretionibus emittitur, sed paruum quoddam eijcitur passione incipiēte inualescere. Cū uero uehementia iam affuerit, concoctio tum perfecta materiæ gignitur, ac urinæ crassitudinem capiunt, materia uersus deorsum descendente. Vrinæ enim crassæ semper fuere signa humorū quorumcunq; aliquo pacto implentiū uentrem,

Crassæ urinæ ratio.

uentrem, & intestina, atque hepatis partes cauas. Veruntamen quando hæc significent uentris excretionem, & quando non significent, explicabitur in ijs quæ de præuidentia. Et si deceat me de hac re summatim dicere, sic habeto. Vrinæ tenuissimæ, extremam quandam debilitatem naturæ, atque cruditatem arguunt ob defectum caloris genuini. Crassæ uero factæ, atque eiusmodi manentes, uel etiam constitutæ, ostendunt primo calorem genuinum concoctioni indulgere, deinde dominari quodam modo, ueruntamen non eatenus exijsse compotem concoctionis, siue à quantitate, uel qualitate humorum, siue à propria laxitudine languescentis uirtutis. At uero quoniam dictũ est urinas tenues apparere ob oppilationem, referendæ etiã in ijs quæ tenuitatis causæ existimãtur. Ergo cum uel circa renes, atque reliqua uasa urinaria, uel circa aliquas particulas potentes coërcere, ut urinæ mediocres exeant, oppilatio aliqua non parua gignitur ab aliqua affectione, tum urina

Epilogus dictorum de substantijs.

Tenuis urina ab oppilatione.

per anguſtias, ueluti per defecatorium emuncta perquàm tenuis exit. Neq; mirum uideri poterit, quod ſpectare eſt in ijs, quæ ſingulis diebus factitantur. Quidam enim cum uinum limoſum & craſſum ſentiunt, illud defecatorio ſæpenumero colant, atq; decenter attenuant colaturis auferendo craſſitudinem, ita ut pellucidiſſimum uinum efficiant. Simile fieri in urinis ratione capere oportet. Quamobrem ubi acciderit, ut ob aliquã oppilationem urina tenuis appareat, tũ quis cauſari potius debuerit, meatus obſtruſos eſſe, quàm uirtutis concoctricis debilitatem. Sed de cõcoctione & incoctione atq; materiæ cruditate, ſufficiens iam facta diſputatio hoc pacto maneat. Atq; ab hiſce diſcat unuſquiſque hiſce ſtudijs incumbens. Nam urinarum ſubſtantiarum aliæ ſequuntur concoctiones humorũ, aliæ incoctiões, aliæ quoque cruditates. Mox uero par eſt diſputare de cauſis contentorũ in urinis.

Simile.

De causa contentorum alborum. Cap. XV.



Vemadmodum in cõcoctione, & incoctione quæ in uentre, & cauis hepatis, atque consequentibus opportunisque uasis fit, substantiæ urinarum potissimum signa extitere: ita quoque in concoctione, quæ in genere uenarum perficitur, putare oportet contenta signa esse. Quamobrem dicendum est primo de hisce, atque de coloribus, qui unà cum contentis apparent, atque de causa quæ existimatur eorum esse. Deinde de substantijs cõtentorum, atque locali transmutatione, deque reliquis quæcunque in eis inspiciuntur. Contenta igitur mediocriter alba & lenia, & æquabilia testantur sanam uirtutem esse in tertia concoctione. Nanque sicuti in sanguine perfecte concocto colamẽtum apparet subaureum, atque subcroceum, cui opus fuit humore colorante, ita oportet considerare quoque in ipsa concoctione, quæ in genere uenarum agitur. Siquidem sanguis non perfecte generatur cibo succificato in *Alba contenta.*

uentre, atq; in hepatis concauitatibus alterato, ac in uia restaurationis constituto. Sed ubi idem alteratus, ac perfectus fuerit in genere uenarum, purus existit. Atq; ratione compertum est, hic atque in concoctione quæ in uenis, superfluitatem ac inutilem substantiam urinam esse: illic uero & in concoctione quæ in uentre & intestinis, superfluitatẽ esse excrementa, ac utraque signa esse: quinetiam ad album colorem mutatum esse purem perfectum ob concoctionẽ mediocrem. Nam ratione cognitũ est, sanguinem ad album colorem uerti, cũ de colore suo transmutatur legibus naturæ alteratus atq; transuersus. Fidem etiã faciunt rationi tum lac, tum semen: quippe quæ de sanguine mutantur in album colorem. Ergo & contenta in urinis similem rationem seruantia, signa sunt sanæ concoctionis. Demonstratũ enim est, hæc ipsa superfluitates esse sanguinis exacte concocti in uenis. Quod enim non mutatum est in meliorem mutationem, atq; alterationem, id in hanc

Digestionis uenarum urina est superfluitas, ut excremẽta uentris.

speciem,

ſpeciem, ut mutatum ſit, mutatur à uirtu te naturali eminente. Ob hæc igitur con tenta alba recte eſſe uidentur, & appel- lantur. Veruntamen non intenſam ha- bent albedinem eò quia, neque modo puris mutantur. Si enim ſubſtantiam puris ſuſcepiſſent, etiam eiuſmodi ratio redderetur colori ſecundum naturam. Quæ uero intenduntur in albedinem, hæc potius germina humorum pituiti- corum eſſe probantur, aut ſanguinis im perfecti mutati in ſimilitudinem puris à potentia uirtutis alteratricis.

De cauſis ſubſpiceorum & ſpiceorum, ac bileorum contentorum in uri nis. Cap. XVI.



IN quibuſuis urinarum cõten tis ſubſpiceus & ſpiceus atq; bileus color apparuerit, in ijs ob eiuſmodi cauſam inſpecta ri oportet. Quando aliquis eiuſmodi hu mor abundauerit, aut cum ſanguis ipſe corrumpatur in bileam, & extraneã qua litatem: aut cum multa fiat ciborum in- culcatio, maxime qualitatẽ eam gignen

tium: aut cum eiuſmodi humores intrin ſecus excreuerint: aut cum alia quæuis ſimilis affectio, & uictus ratio habita fuerit, quæ efficere ſoleat paria prædictis, non autem facile habuerit natura expellere omnem ſpeciem humorum eiuſmodi: aut tēpore longo laborans, aut à multitudine uicta: fit ut eiuſmodi humor bileus in tertia concoctione redundet. Idemq́ mistus ſanguini, atq; redūdans in genere uenarum, atq; quoad fieri potuit, inde abiectus per cōtenta in urinis, præſtantem in uenis humorum qualitatem oſtendit. Nanq; à rebus excretis exiſtimatione capiuntur quæ præſumpta ſunt. Qua pro re hæc omnia naturæ munera recēſentem oportet exquirere unà cum coloribus, atq; ſubſtantijs, & contētis, atq; in hiſce unumquodq; accidēs, redderéq; ſimilitudines, ac nihilominus demonſtrationes facere. Veruntamen ſi quiſquam fortaſſe modice ſic egerit, arbitror hunc aberrare ab eo quod decet.

Ab excrementis, ingeſtorum poſſe colligi qualitates.

De causis contentorum subrubeorum, & rubeorũ, atque cruentorum. Cap. XVII


E subrubeis rubeisq́; atq; cruentis contentis ea referre satis fuerit: quæ quum definita nõ sint, ab ipso sensu discere licet. Nanque ubi humor sanguineus fuerit promotus ad concoctionem meliorem, (quod tanquam nõ assumendum uisum esset, non indeptum fuerit permutationem secundum naturã eò, quia hæc minus præstat, aut ob multitudinem excedentem mediocritatem, aut quia uirtus contentrix quæ illic est, debilitata est usqueadeò, ut etiam optimos humores solutos fluere sinat) tum contenta eiusmodi producuntur. Quandoquidem si uirtus illic præstiterit, perquàm facile omnia alterarentur, atque mutarẽtur. Sicuti contrà si quicquam illa passa fuerit, etiã contẽta spectantur auersa ab eo quod par est.

Contentorum rubeorum & sanguinolentorum causæ.

Virtutem fortẽ quidquis superare posse.

De causis contentorum fuscorum, & liuidorum, atq; nigrorum. Cap. XVIII


Vsca in urinis contenta, & liuida, & nigra inspectantur, aut ob mortificationem uitalis uirtutis (nam in hanc speciem mutatur mortificatus humor) aut ob humorē nigrū, qui illuc ab aliquo loco cucurrit, uel illic ingenitus est, deinde ut in urinis subsideret, profluxit: aut ob sanguinem mutatum mortificatūq;, atq; cum urinis commissum. Quandoquidem ubi cum sanguine redditur humor is melancholicus, eò quod excretrix uirtus debilis est, etiam usq; ad tertiam concoctionem concedet. Inde uero expulsus à residua etiam animali uirtute, idem mistus cum contentis, ipsa colorat: ita ut si mediocris fuerit, reddet uenetos, atq; liuidos colores: nigros uero efficiet, si qualitate & multitudine excesserit. Atq; hoc pacto melancholicus humor redundat, & pro eiusmodi causam extraductus apparet. Quinetiam accidit, ut interdum contenta uideantur nigra,

Contenta fusca.

Nigra.

gra, cum ſanguis exiſteret melancholicus, aut eò quod eiuſmodi humor tractu temporis in melancholicum mutatus ſit ab aliqua alia cauſa. Nanque ratione & uſu idipſum comprehenſum eſt. Aſſumitur enim à natura omnis ſanguis, qui purus eſt in tertia concoctione: qui uero mutatus fuerit in bilem nigram, hic ſequeſtratur à uirtute excretrice. Sed tamen id orationi huic addatur. Nam ubi ſanguis mortificatus, atque uerſus fuerit in colorem nigrum, aut ob tormenta, & ſcuticas homini incuſſas, aut ob uirtutis remiſſionem, ac mortificationem, tum hunc ipſum natura tanquam ſuperfluum illinc deriuat, atque tum urina eiuſmodi excretis contẽtis abundat. At oratio de cauſis colorum, quos in contentis eſſe contingit, hoc pacto maneat, dictis à nobis quæ ſint neceſſaria. De quantitate uero contentorum docere iam par eſſe uidetur: deinde de cæteris ijs quæ ſuper ipſis quæruntur.

Nigrities ſanguinis.

De causis quantitatis, ac substantiæ contentorum. Cap. XIX.



Vlta contenta urinarum, ut multum nutrimentum corpori distribui, ita robur quoddã alteratrici uirtuti adesse significant. Cum enim materia deerit, ac naturæ robur affuerit, nõ tum efficit abundantem nutritionem. Quod si semper materiã annexuerit, atq; similem membris fecerit, semper quoq; eiusmodi consumptionem sequetur superfluitatũ multitudo non parua. Non enim par esse cõpertum est, ut in quacunq; uis distributione nutrimenti, quæ corpori fit, non etiam superfluitas aliqua sequestretur. Quamobrem cum multa est elaboratio naturæ circa nutrimentum, multas quoq; superfluitates adesse necesse est. In quo nec illud ignorare oportet. Nanq; alteratrice concoctriceq; uirtute ipsa ab aliqua quauis causa obscurata, plurimæ superfluitates feruntur. Verum tamen hæ erga crassitudinem uergunt, dum concoctionem exactam diffugiũt.

Haud fieri posse nutrimentum absq; superfluitatibus.

De

De quibus paulò inferius, ac ubi de contentorum substantia tractabitur, disputarimus. Nunc uero de paucitate contentorum dicẽdum est. Atq; hæc pauca contẽta explicatum est ut ob inediã & exercitia, atq; oppilationes, & concoctiones tardas generentur. Ergo uirtute nutritiua potente, & materia abundante, huius meliora assumuntur, peiora uero expelluntur, quæ superfluitates sunt, etsi hæ etiam assumantur. Quando uero decẽs & pura nutritio ex toto defecerit, etiam contenta in urinis ratione eadem quantitate minuuntur. In ijs uero qui multũ sese exercent, etsi nutrimentum multum adsit, contenta tamen minora in urinis apparent, eò quod in eiusmodi corporibus superfluitates tractantur & tenuantur, atque per occultas uaporationes discedunt, ita ut paucum quoddam relinquatur arctatum in exitu, atque cum urina descendẽs. Mirũ nõ etiã esse poterit, si contẽta pauca spectẽtur, meatibus oppilatis, atq; crasso per angustias, quas fecit, sola subtilia trãsire sinẽte. Atq; hoc in

Paucitatis contentorũ causæ.

Nutritioni contẽta assimilari.

loco oratio de quantitate contentorum sistat cursum. Posthac dicendum est de substantia, hoc est, quam ob causam tenuia uel crassa contenta spectetur. Hoc enim pacto reddita ubi fuerit ratio, seruatus erit ordo ut propositum erat. Igitur contēta tenuia, cum pura fuerint, ac non facile assurgentia cum matula commota sit, significat magnam quandā debilitatem naturæ in tertia concoctione adesse. Si enim hæc confirmaretur, fortasse gigneret in ea concoctione mediocrem substantiam. At uero nunc quemadmodum circa primam & secundam concoctionem peccari contingit (illic enim in prima tenuia, & subhumida fiūt excremēta: hic uero in secunda albæ atque aqueæ urinæ) ita in tertia concoctione peccari solet. Contēta enim tenuia ac indefinita, minusq́ domita à calore genuino manent. Quinetiam quæ apparent tenuia ob crudum humorem tenuatum, ueluti in ijs quæ de iudicijs urinarum scripta sunt superius, diximus, ea ab roborata iam genuina caliditate fiūt, atte-

Quantitatis contentorum ratio.

Tenuia.

attenuante ac dissipante omnem crassi=
tudinem materiæ, quæ uenis inhæsit ob
humorum cruditatem. Similia hisce sin=
gulis diebus in sublimibus diebus de=
monstrantur. Quandoquidem in illis so
lis calore eminēte, omnis crassitudo cor
poris nubium attenuatur, atq; spiritifica
ta dissipatur, ut eodem calore superato
coguntur nubes, atque crassescunt. At=
que præter hæc etiam ob multam con=
strictionem nigrescunt, ita ut horridum
etiam insultum terrenis minitētur. Hoc
item exemplum satis esse poterit in cras
sis contētis urinarum ostēdendis. Nan=
que genuino calore debilitato, non etiã Crassa.
facile hinc humores & domiti, & atte=
nuati esse possunt. Nanq; caloris ipsius
in humoribus proprium est, tenues & ue
luti indefinitos humores cogere, & de=
finitos reddere concoctione: crudos ue
ro & crassos attenuare & concoquere.
Atq; crassitudinem accidit in contentis
inspectari. Quæcunq; enim eorum quæ
ad nutriendum assumuntur, non prius
mota sint concoctione ob aliquam im=

pedientem causam, eadem aut tenuia apparent, aut crassitudinem habentia sunt, utraque diffugientia mediocritatem concoctionis. Quæ uero contenta uidētur crassitudinem habere natura, ratione crisis superfluitates expeliente, id ob uirtutis excreticis robur potius fit, præsertim per urinales uias. Quinetiam contenta quæ uidentur esse crassa ob eiectionem puris, oratio quæ de iudicijs acta est, docuit. Causam uero reddet oratio de concoctione. Quandoquidem quæ exacte concocta esse apparent, ea mediocrem secundum genus substantiam capiunt: quæ uero aberrauerint ab exacta cōcoctione, illa demonstrantur aut tenuiora, aut crassiora. Hinc etiam cēsendum de purem efficientibus. Nanque pus mediocris esse uidetur, qui genitus est concoctione uincente, idemque crassior quibusuis contentis spectatur, tenuior uero sanguine spisso. Sed de pure rationem alijs in locis discere poteris. Qua pro re hic relinquatur, ubi non adeò opportunum est ut tractetur. Nos uero cum de substan-

Crassa contenta in diebus decretorijs.

Purulenta contenta.

substantia contentorum, quæ in urinis apparent, disputarimus: decet ut etiam de hypostasi orobea, furfurea, laminea, atq; similacea doceamus.

De causis hypostasium orobearum, furfurearum, laminearum, & similacearum. Cap. XX.

QVa specie sint eiusmodi hypostases, dictũ est in tractatu de differentijs urinarum, & quid sibi uelint, in ijs quæ de iudicijs, scriptum est. Nunc uero ipsarum causas explicemus, atq; usquequaq; orationem finiamus. Igitur cum febris ad carnẽ usq; processerit, ita ut eam & turpem reddat, & liquefaciat iam antea cõsumpto pingui, tũ in fundo matulæ subsidet quantum de substantia carnis depastum est. Non enim in eo fundo sublimatur, neq; erat eiusmodi combustum ita facile, quemadmodum fieri solet in contẽtis quæ specie similia sunt huic, sed semper fundo hæret, naturali quadam grauitate iacens. Atque quod hoc pacto febris peruenit ad partem corporis *Febris hypostasis.*

informem, atque crassam, etiam hypostasim eiusmodi reddidit. Quinetiam in hypostasi furfurea quædam figura seruatur contentis, à qua etiam nomen deductum est. Nanque postquam uis febris attigit duras corporis partes, eiusmodi furfures apparent, ueluti frustula quædam abstracta à corpore præ duricie renitente. Siquidem eorum quæ ab igne soluuntur, alia liquefaciendo soluuntur, alia frangendo & scindendo, ueluti ea quæ obtinuerunt substantiam duram ac rigidam. Atque quò corpora duriora fuerint, eò frusta maiora euadũt. Quippe quod ignis impetum primo reijciunt, deinde cedentia uincuntur magis, quàm quæ humidam substantiam sortita sunt. Quẽadmodum singulis diebus uidere licet in lignis rigidis, atque lapidibus. Dissultant enim non parua frusta ab hisce, cum aduruntur: quæ uero soluuntur liquefactione, hæc comparantur seuo & ceræ, atque similibus. Quamobrem & adeps & caro hisce similis est. Ob hanc rationem quò febris magis attigerit solidiora corpora,

Furfurea.

pora, eò maiora & euidentiora frustula abscissa conspectabuntur. Idem etiam discere licet ab hypostasi laminea, & similacea, quæ incensæ sunt ab hectica febre. Atqui quemadmodum à mediocri, & genuino calido fingitur atq; perficitur unumquodq; horũ, ita ab extraneo calore, ac immodica febre distrahitur, atque colliquefit: & consumptionis corporum febris est causa penetrans adusq; profunditatem. Sed ut appareant frustulorum species quædam diuersæ à liquefacta materia, suborta est differẽtia. Quã obrem habes etiam rationem hypostasis furfureæ & lamineæ, atq; similaceæ creditam iĳs qui sufficienti pollent ingenio. Veruntamen non ignorare oportet interdum humorum crudorum spissatorum effigiem quandam apparere, uergentem ad species similes prædictarum hypostasium. Quemadmodum accidere solet in iĳs quæ coquuntur in sartagine. Hæc enim dũ assantur, arctãtur, atq; quò magis ustulãtur, eò peiora rediguntur. Similia his considerare oportet, &

Laminea.
Similacea.

Effigies cruda hypostasis.

hoc pacto se habere in urinis, atquè coniectandum, quò minora fuerint frustula, eò imminentiorem febrem esse. Quinetiam interdum in contentis urinarum eorum, quos absq; febre contingit esse, eiusmodi germina male elaborati alicuius humoris apparere, quæ tractu temporis declinant, atq; dissoluuntur, ac ueluti capilli interdum in urinis spectantur. Quorum iudicia suo in loco declarauimus.

De causis contentorum mistorum, uel dissimilarium. Cap. XXI.



NVnc uero par est ut causas contentorũ dissimilariũ subiungamus, fortasse non inutiles ijs qui hisce studijs operã nauant. Siquidem ubi humores aliqui relinquantur per aliquos meatus, neq; fuerint dissoluti aut attenuati, neq; quoque cito per urinas expulsi, sed tractu temporis in meatibus moram fecerint, spissitudinem, ossisq; naturam susceperint, ab aliqua caliditate in eiusmodi species transmutantur, ita ut neq; ossa perfe-

Inæqualiũ contentorũ ratio.

cte

cte sint, neq; humores exacte cõsistant, sed potius sunt humores ad ossis naturã uergentes. Reliqua igitur, quæ similia sunt ramentis atque furfuribus, & quod aliud dicere uelles similitudinẽ faciens, possent cõsistere etiam per reliquas corporis partes. Quæ uero similia sunt capillis, in ijs uasis quæ à renibus ad uesicã descendunt, generantur. Atq; quãta est longitudo uasorum internorum, tanta generatur humoris spissitudo & assatio, atq; illa ueluti capilli similiter extenduntur. Proinde cum sæpius hæc spectauerim in aliquorum urinis, nequicquam aberraui à iudicio & præuidentia, dicẽs illos male habere renibus. Et illi ueluti redarguti, confessi sunt passionem: atque admirantes curationem mihi crediderunt. Sed tamen hoc spectat ad aliam disputationis partem. Nos uero quoniã proposuimus reddere causas uniuscuiusq; eorum quæ apparent in urinis, sic hactenus fecimus. Nam super unoquoque colorum causas assignauimus, & quæ sunt super substantia; item quæ su-

Capillis similia contenta.

Affectionis renum ex urina præsagiũ.

per contentorum coloribus, & quantitate & substantia. Verum quod oratio uidetur habuisse mensum decētem, hoc in loco eam terminemus, ne uideamur legentibus præter modum protulisse sermonem. Quandoquidem paucis uerbis si quis uelit sententias multas claudere, id tam breuitatis, quàm studij frugalis munus esse probabitur. Volentis uero dicta dicere, atq; exire adusque contrapositiones, & inanes proflatus, fortasse modus ingeniosus putabitur. Sed minus congruerit uiris studiosis, atque paucis sensus multos componere niten tibus. Sed de his hoc in loco satis, de qui bus aliâs plura. Nobis uero quantum relictum est, in altero libro etiam oratione non superante modum scripserimus. Quod si tandē quicquam uideatur prætermissum esse, idipsum ego puto præceptis uniuersalibus contineri. Sin uero quod decens est homines adipisci, aliquis quicquā adinuenerit, ne nos quisquam accuset passionis humanæ, sed potius illius inuentum addatur hisce dictis ut

ut plenior sit eiusmodi institutio. Nanque hoc pacto tractatio per gradus multos ubi acceperit incrementum, tendet eò ut perfecta consistat, atque studiosis aderit non ignobilis institutio.

Libri primi de causis urinarum, finis.

ANNOTATIO CAPITVM eorũ quæ libro secundo de causis urinarum, continentur.

ACTVA.

urinarum, Liber ſecundus.

PRAEFATIO.



VOD accidere ſolet rerum ſpectandarũ amãtibus, ubi aliquã perpulchram domum intrauerint (non enim neceſſarias partes ſolummodo diſquirere uolunt, fundamẽta, fornices, columnas ſuffundatas, atq; tectũ, & alia eiuſmodi, uerumetiã ſi quid domo adiectum ſit pulchritudinis excellẽtis uarietate figurarũ & picturarum præſtantia, atq; pellucedine incruſtationis) id quoque mihi accidet, non ſolũ inſudanti ijs rebus, quæ arti neceſſariæ ſunt: ſed etiã circa eas exercenti, quæ pulchritudinẽ dictis nihilominus, quod tutũ fundamẽtũ præſtare poſſent. Proinde uolumine altero opus fuit, quo tota mens de cauſis urinarum explicaretur, idq; ut oratio, quæ habita eſt ſuper unoquoq; iudicio, decentẽ cauſam accepiſſe uidereť. Verũ tamen contemplatio de urinarũ cauſis,

à ueteribus philoſophis perculta eſt, nõ aliter quàm ſi in philoſophia res una eſſet ad tractandum propoſita. Nũc uero neſcio quibuſnã è medicis nobis æqualibus placere uideatur, cum antiquam illam philoſophiæ uenerationem perdiderit, uixq́ȝ ijs quæ de differentijs urinarũ, atque iudicijs ſcripta ſunt, incumbant. Quamobrẽ tẽpore nõ paruo diſtuli proferre cauſas à me inuentas ſuper urinis, quæq́ȝ diu prætermiſſæ manſere negligentia eorum qui artem medicam exercuerunt. Verum ubi contemptis inertibus, ad me redij, cenſens ſi imperfectam diſputationem reliquiſſem, ſegnitiæ munus exiſtimari: ſin uero ſcripſiſſem quæ decet, ſtudij cuiuſdam non ignobilis opus extare: aggreſſus ſum diſputationẽ de cauſis, putans noſtram hanc præceptionem plurimum eſſe collaturam, ijs præſertim qui philoſophiæ ſtudijs delectantur. Ergo per hæc recte exiſtimatũ eſt, ſi diſputatio de cauſis urinarum ſubiungeretur, cuius partẽ explicauimus, parsq́ȝ ad tractandum nobis relicta eſt.

Opus

Opus autem esse uidetur omni, quæ alterius est, causa: atque in reliquis differentijs urinarum, suas causas reddere: simul ut nobis oratio procedat facilior, simul ut ijs qui aliorum disputationem taxare nituntur, occultetur ingressus accusationis. Quia igitur etsi colorum & substantiarũ causas iam reddiderimus, atque præter hasce etiam eas quæ sunt cõtentorum, nõ tamen explicatæ sunt causæ omnium eorum, quæ super hisce antea dicta erant. Sunt enim relicta quæcunque spectant ad lenitatem, & inæqualitatem, ac loci positionem ipsorum contentorum: item quæ ad bullas attinent, atque si quod aliud natet in urinarum superficie. Decebit nunc me prætactas super hisce causas reddere: deinde dicere de sequentibus, ueluti ratio procedens instruxerit.

Causæ urinarum ad perfectionẽ necessariæ.

De causis contentorum lenium & asperorũ, atque glutinosorum. Cap. I.



QVoniam in contentis, quæ mediocria sunt secundum alias circumstantias, etiam lenitas præ-

ſens demonſtrat concoctionem ſecundum naturam: eadem ſi quo pacto immutata fuerit, oſtendet concoctionis defectum. Atq; ſi non lenitas ſit, ergo eam aſperitatem quiſquam appellauerit nomine contrario ipſi lenitati, atq; uocauerit ipſam defectum quendam concoctionis naturæ, cum diſſimilaris quædã ſubſtantia conciderit contentorum continuitatem tanquã huius contraria. Glutinum uero quiſquam definierit hoc modo, ſubſtantiam dicens percraſſam, atq; tenacem: ob quam etiam contenta cum ſpiſſari contigerit, mutuo coëunt. Tum enim eiuſmodi humorum corruptio mutuo glutinat partes ueluti diſtantes, non aliter quàm gummi quoddam aut coagulum. Et ab eiuſmodi idea quiſquam poterit ratiocinari ſuper glutinoſis contentis. Nunc uero dicendum eſt de aſpero, & quod nam ſit illud quod eius continuitatem diuidat. Siquidem fortaſſe hinc alia ratio apparuerit non ignobilis. Nanq; in concoctionibus perfectis nihil eſt nõ domitum. Humores enim domiti,

Aſpera contenta.

Glutinum.

miti, atq; sufficienter cōcocti esse demō- strantur ab ijs quæ excernuntur. Spiri- tus uero diuersi & extranei, ne principiū quidem substantiæ capiunt, exuperati à calore naturali. Manifestum esse uide- tur, ut cōcoctione deficiente aliquo pa- cto ab hisce, tam humores incocti pro- ducuntur, quàm spiritus propriam sub- stantiā accepisse spectantur. Sed de cru- ditate & incoctione humorum ratio tra- ctata est in libro superiore. At uero hoc in loco cōuenire uidetur, reddere ratio- nem de spiritu extraneo dominante, ut omni ex parte disciplinæ ipsius integra euadat disputatio, atque interim à culpa uindicaretur. Igitur quod fieri solet in conspectu nostro, atq; euidenter in ele- mentis (nanq; aëris tranquillitas genera ri tam in frigore uehementi, quàm in ar- dente calore spectatur) id etiā in corpo- ribus nostris produci. Nāq; maximis fri goribus ubi correpta fuerint, atq; bene debilitata caliditas sit, tū dēsitas quædā à frigiditate cōtrahitur. Neq; tū quoq; spi ritus excitātur, qui ut excitētur, modica

Humores iudicari ab excrementis.

Vrinæ dispositio ad aëris qualitates.

caliditate indigent. Veluti contrà in insano æstu, atq; alijs urentibus febribus, combusta tota spirituum materia. Quin etiam in remissa caliditate tanquam pugnante natura, atq; nitente frigidos humores dissoluere atq; concoquere, spiritus complures ingenerãtur, quantitate & substantia differentes. Nanq; aliqui eorum pauca egent mutatione & concoctione, alij uero ferè omnem concoctionis gradum inexperti, etiam eminere probantur. Quod etiam discere est in alteratiõibus aẽrei status, quas circa nos singulis diebus fieri cernimus. Frigore enim ualido antecedente, atq; pluuijs & niuibus usquequaq; præstantibus, spiritus nullos apparere necesse est. Necunde ergo extante principio motionis spirituum, etiam densitas quædam corripit materiam spiritus progignentem. Veruntamen ubi naturalis calor illuxerit, atque cœperit præstare materiæ, tũ densitatis soliditas soluitur. Atq; spiritus capere substantiam solent, ut quãtitas subiectæ materiæ, atq; sinus patitur. Deinde per

Frigora spirituum esse expertia.

de per omne discurrunt. Quinetiam cū fuerint modici, à caliditate multum præstante concocti quiescunt. Et si fuerint multi, atq; supra quàm sit caliditatis potentia, parum, uti decet, expellūtur: sed in se contracti, atque constricti ab ignis qualitate aliena, afferunt alium humiditatis globum, qui maiore apparatu ad dissoluendum eget. Atq; eo pacto à singulis mutationibus gignuntur differentes status aërei. Quamobrem quam rationem hoc ipsum ambiens omne atque solaris caliditas erga elementa nos continentia habet, eandem caliditas genuina cordis erga substantias humorum diuersorum, qui in nobis sunt, obtinere defenditur.

Calor innatus talis qualis est elementaris.

De causa generationis spirituum extraneorum. Cap. II.

VEruntamen quod hinc cōcoctione secundum naturā, atque conueniente, genuini ac naturales: illinc uero concoctione deficiente extranei, atq; tristifici spiritus generantur: probantur autem

continuitatē contentorū ſoluere quidā ſpiritus: hi ipſi extranei, atq; interrūpentes eſſe certe exiſtimātur. Atq; hac ratione ſolutio cōtinuitatis contentorū recte arguere poteſt cōcoctionis imperfectionem aliquā. Sed tamen eò maior euaſerit ſolutio, quò ſpiritus uenerit præſtantior. Quēadmodū igitur in nubibus diſiectis ſpiritus motionē ſignificamus, ita in contentis laceratis ſpiritum extraneū diſcindentem arguimus.

Alieni ſpiritus.

De cauſa generationis bullarum apparentiū in urinis. Cap. III.



Vm tam diſſoluta & ſublimata contenta, quàm quædam in urinis innatantes bullæ fiant ob extraneum ſpiritum, cōuenire uidetur, ut ſuper hiſce cauſæ referantur. Illius igitur meminiſſe oportet, ſpirituum non ſemper eandē eſſe quantitatē neq; qualitatē eandē. Nāq; alij ſunt multi, alij pauci, ut alij tenuiores, alij craſſiores, atq; alij calidi, alij frigidi, quos etiā coniungere par eſt. Quorū coniunctorum alij erunt multi & craſſi, & frigidi: alij

Bullæ urinis innatantes ob ſpiritus extranei uehemētiam.

alij multi, & crassi & calidi: ut alij pauci, & crassi & frigidi: alij pauci, & crassi & calidi. Quinetiam si diuisionem facere uelis, diuiseris multos atque paucos, & addideris ipsis definitiones tã crassos, quàm tenues, atque post hosce subiũxeris calidos atque frigidos, quamplurimas differẽtias coniunctionum adinueneris: ut ab hac ratione ductus cognoscere poteris causas tam contentorum proprium locum minus seruãtium, quàm differentiarũ, quæ sunt in ipsis bullis. Ergo spiritus crassiores potius in bullis apparent inclusi, tenuiores uero magis dispersis contentis congruunt. Quemadmodũ eorũ quantitates quadrant magis cum quantitate bullarum, atque cum abscessu, quem faciunt contenta recedendo à fundo: atque etiã cum ipsorũ contentorũ dissipationibus, cum magis disperguntur. Qualitates uero ipsorũ spirituũ argui possunt à qualitatibus quæ in coloribus arguuntur. Veruntamen repetẽda sunt hæc (ut quoad fieri potest) clarior euadat oratio hoc pacto.

Bullæ spirituum crassiorum indices.

De causa diuersorum locorum, quos occupant contenta. Cap. IIII.



Vtrimẽtorum corpus intrantium quædam cõcoctione prima domita sunt, atque si quid spiritus ipsis affuerit, id alteratũ à naturali caliditate dissipatur. Alia uero sunt quibus etiã secũda concoctione opus est, ut & domentur, & spiritum dissipẽt. Insuper alia quædam sunt quæ magis insitũ spiritum continentia, tertia quoq; concoctione indigẽt; ueluti sunt illa quæ humorem prorsus crudum, ac propè corruptiuum gignunt. Hoc itaq; pacto considerare oportet super humoribus, qui & in uentre, & in uenis, atque in locis ulterioribus habentur. Quamobrem ubi circa primam concoctionem genitus sit spiritus, ijs quærit exitum, & errabundus unà cum urinis excernitur. Si fuerit tenuis, & quantitate mediocri, substantia ipsius producta à minimo principio, bullas quasdam inflat super urinæ superficie, atq; simul ob refrigerationem urinæ dissipatus, bullas disrumpit.

Alimentorum concoquendorũ uarij gradus.

Spiritus primæ concoctionis.

pit. Quod si spiritus crassior, & maior cũ urina excernatur, atq; humiditatem moueat, & conuertat dum ad id aptus sit, tũ bullæ generantur in matula, quæ nõ statim dissoluuntur, quod spiritus crassitudine sua ut non euaporatur, ita constringitur: atq; eiusmodi bullæ potius signa sunt spirituum generatorum in uentre.

Spiritus crassioris in uentre generatio.

At uero spiritus, qui in secunda concoctione apparent superare contenta fundi aliqua ratione, ita dissipant contenta secundum excedẽtiæ rationem, quemadmodum dissipant ea quæ ad profunditatem corporis concesserunt. Atque eiusmodi spiritus frequentissime in passionibus calidis apparere solent, atque idcirco potius per profunda transeunt. Quinetiam in crudis & incoctis humoribus si contenta apparuerint concocta, multis spiritibus generatis sublimãtur, multo colore dissoluente multam materiam spissatã, quæ generare potuit multos spiritus. Sed ubi genuina & concoctrix caliditas præstiterit, illa uero cruda & incocta materia domita fuerit, tũ

Concoctionis probæ contenta.

contenta incipiunt descẽdere spiritibus diminutis, atq; demum euaporatis subsidere ad matulæ fundum. Illud quinetiã non erit auditu dictúue mirabile, ut à locis contentorum in urinis significentur quodã modo corporis affecta loca. Siquidẽ facta proportione altitudinis totius urinæ cum altitudine humani corporis, tum partes urinæ, ad quas contenta concesserint, proprium locum effugientia, significant loca corporis ipsis respondẽtia, potius passione affecta esse, idq; decenter. Spiritus enim is extraneus, atq; corruptiuus quò fuerit præstantior, eò longius materiam expellit uersus sublimes partes matulæ, à fundo incipiens, cum deceat materiam descẽdere atq; excerni, si à nullo spiritu pulsa esset. Nec aliter res habet in dissolutionibus cõtentorum, quæ fiunt in latitudine urinæ. Videmus em̃ partes latitudinis urinæ, ad quas declinauere contenta, significare partes latitudinis corporis, quibus languor errãdo accidit, ueluti dictũ est in ijs, quæ de iudicijs urinarum tractata

Contentorum loca ad corporis situm referri dolentem.

Dolor errabundus per contenta uaga.

ctata sunt. Spiritu enim materiam expellente, præsertim si asperam esse contingat, & incoctam, ipsa ubi mota fuerit, aberrauerit in totum corpus, atq; in carnibus fundatur à multitudine: dolor uero fit à motione spiritus, atq; à qualitate diuersa materiæ fundatæ. Sicuti in bullis, quæ significant dolores capitis, aut renum, atq; præter defluxum in pulmonem. Etsi alio in loco circa substantiam spiritus dictum sit, quænam positio ipsorum contẽtorum pepererit iudicia. Præsens uero oratio causas assignabit. Igitur unumquodq; prædictorum ab aliquo, quod dissimile est naturali spiritu, generari res ipsæ, ut puto, demonstrabunt, cum diebus singulis aliqua motione præter naturales spiritus generẽtur, siue cum ferueant subiectæ materiæ, siue alio modo moueantur. Cui orationi fidem faciunt tam aquæ bullientes, atq; idcirco bullas facientes, quàm frigidæ alicunde motæ. Bullæ ergo ueluti corona circumeuntes urinæ superficiem, si fuerint paruæ, atq; inter se densatæ, à spi

Bullarum significatio.

ritu crassiore, ac nō facile disperditili generantur. Qua ergo bullæ concesserunt adusq; urinæ superficiem, simili ratione demonstrant spiritus in corpore ascendisse usq; ad caput. Qua uero in eis adest crassitudo, & glutinum, ut non sinat bullas maiores fieri, & sublimari, indicant spiritum etiam esse materialem, neq; facile disperditilē. Bullæ em̄ quāto magis sublimantur, ac intenduntur in fornicē, eò potius spiritus disperditus abscessisse à materia significat. Et dolores obscurari dicimus, eò potius, quò magis frigiditas aderit in spiritu. Nō em̄ facile frigidi spiritus consueuerunt mouere dolores. Veruntamen defluēte materia, quæ spiritus excitauit, quod iam concocta est, bullæ coactæ innatant circa mediam superficiem urinæ, atq; etiam corona bullarum innatat, neq; quicquam doloris etiam significans, cum iam materia euaporata descenderit. Etsi maxime reditus fiat ad pulmonis loca, tunc materia descendens conuoluta cum spiritu, qui in pulmone est, magis etiam inflatur. Qua

Capitis dolor.

Frigidi spiritus fortes dolores mouere non solent.

uero expellitur, ſuperãte iam natura excernitur, demõſtratur uero à bullis, quæ circa medium innatant. Quinetiam eadem motione circa renes, & ueſicam, facta ab aliqua contingente locorum anguſtia, ſpiritus ingenerantur, & bullæ excitantur. Non minore quoq; motione circa uaſa ſeminaria facta generãtur ſpiritus, atq; tranſmittuntur ad uaſa urinaria. Atq; miſti cum urina ſpectantur in illa emicta excitaſſe bullas denſiſſimas. Quinetiam interdum apparẽt hoc pacto, atq; ueluti textura ex capillis, aut ueluti ſeminis ipſius ſplendores, aut ueluti renum calefactorum colliquamina. Ad hæc quò bullæ fuerint minores & dẽſiores, atq; circa ſolã coronã circũcurrerint, plures & potentiores, & craſſiores ſpiritus demonſtrantur, tanquam adhuc hærerent materiæ. Quò uero magis contrariæ his quæ dictæ ſunt, producuntur, eò ſpirituum imbecillitas, atq; diſperditio promptius iudicantur. Hoc itaq; pacto diſputatio ſuper ſpiritu habita finiatur. Nanq; uir ſtudio incumbens ut de-

Spiritus circa ueſicam & ſeminaria uaſa.

cet, considerando poterit ab hisce dictis reliquam & adinuenire, & orationi adiungere.

De causis diuersorum colorum ipsarũ coronarum in superficie urinæ manentium. Cap. V.



Ost hæc dicendum est de coloribus diuersis, qui in corona ipsa spectãtur. Igitur cum totius humoris urinæ, qui è substantijs diuersarum specierum compositus est, partes crassiores concedere uersus fundum uelint, necesse est ut partes tenuiores innatent. Alijs autem in locis demonstratum est, tenuiora esse passibiliora, & ut ab aliqua causa facilius alterantur, ita promptius manifesta fieri. Quamobrem si humores nocentes fuerint pari uirtute, & pari mensura urinas tinxerint, nulla corona euidens spectari poterit. Sed tamen si uirtus uincens, aut uicta manserit, etiã coronæ colores hoc uel illo modo apparere necesse est, cum uidelicet urinæ commode possint coronam præsentare.

Tenuia offensioni obnoxia.

De causis priuationis contentorũ in urinis. Cap. VI.



Voniam urinarum aliquæ nõ habentes contenta ostendunt magnum defectũ concoctionis, certiore ratione demonstrantur per causas: operæprecium est etiam super hisce causas reddere, non parum conferentes uolentibus recte iudicare. Vrinæ igitur quæ absq; contentis apparẽt ob extremam incoctionem, hoc est, quod materia incocta est, absq; contentis producuntur. Contestantur idem tam colores quàm urinarum substantiæ. Quandoquidem demonstratũ est, contenta esse superfluitates quasdã tertiæ concoctionis. Si hæc minus inspiciãtur, ostẽdẽt cõcoctionẽ illã defecisse Nanq; ubi fit cõcoctio, etiã superfluitatis alicuius sequestratio agit. Non enim cõtingit facta cõcoctione superfluitatẽ nullã excerni. Sed ubi concoctio minus conata fuerit, nõ etiã in ipsa cõcoctione superfluitas spectatur. Oppilatio quinetiã existimanda colans exacte urinam,

Vrina contentorum expers, incoctionis signum.

decens eſt ut detineat cõtenta, quæ craſ-ſiora eſſe humiditate urinæ contingit, habita proportione, cum ipſa humiditas tum tenuior, quàm par eſt, proueniat. Quinetiam in inedijs atq; ciborum defe-ctibus, naturæ indigenti humiditate nu-trimenti, deficiunt urinæ contenta. Si-quidem nutritione non præcedente, nõ etiã in illis ſuperfluitas ſpectari poteſt. Proinde in euacuationibus uentris non contemnendis diutinisq;, urinæ hypo-ſtaſi priuatæ cernuntur: aut quod con-tenta momentum exeundi illac ſuſcepe-runt, aut quod ob euacuationem imbe-cillitas quædam accidit uirtuti conco-ctrici: inſuper & ob multã materiæ cor-ruptionem, à qua nihil ſumere naturam conueniens eſt. Nanq; ubi materia habi lis eſt, etiam inibi nutritio fit, atq; præ-ter hæc ſuperfluitatis alicuius ſequeſtra-tio, ut dictum eſt. Vbi autem egeſtas ſit ac materia deerit, aut quia non adeſt, aut quia & ſi adſit, prorſus corrupta, aut al-terata eſt, neq; nutriri animal, neq; ſuper flui quicquam, quod à nutritione reie-ctum

Contentorum priuatio a fame.

ctum est, excerni potest. Quinetiam nihilominus urinæ absque contentis apparent ob congregationem totius materiæ factam, aut ab inflãmatione tumente, aut aliqua alia affectione. Nam ob multam caliditatem attrahuntur superfluitates, tanquam humoribus melioribus deficerent. Nanque ubi contigerit immensam caliditatem abundare, eò plures humores attrahuntur, atque superfluitates etiam contrahuntur. Quod discere licet ab ijs cucurbitis, quæ singulis diebus medicis usui esse uidentur. Nanque hæ cum mediocri quadam flamma hærentes alicui parti corporis, ad se attrahunt tam uicinas, quàm remotas materias, cum aliqua sint quæ sortita sunt quoddam munus ita attrahendo, ut ingenerata caliditas attrahit. Si igitur cucurbita hærẽs tot potest mouere, multo plura arbitror posse ignem sacrum, atque inflammationẽ tumẽtem, atque aliquam similem affectionem ad se, ut decet, attrahere. Alio quoque casu urinæ apparẽt absque contentis, ut natura expellente ali

Inflammatio urinam contentis priuat.

quo superfluitates ob imbecillitatẽ ingenitam membri à congerie multitudinis. Extitit enim etiam hoc ipsum ratione quadam membri debilitati, ut ad ipsum omne inutile expelleretur. Nam ubi languidum membrũ nequiuit manu tenere præmanẽtem uirtutẽ excretricẽ, illato materiæ cumulo grauatũ, nõ solũ non repellit materiã influentiũ, sed etiã superinfluentiũ suscipit, ob defatigatã (ut uidetur) uirtutẽ expultricẽ. Sed oratio de urinis hypostasi priuatis sufficienter, ut arbiror, tractata nunc finiatur. Oportet enim seruare ne disputationes protrahantur. Veruntamen nos, tanquã alio initio inciperemus, dicamus quas ob causas profluant urinæ uariæ diuersis ætatibus & horis, & regionibus & diætis, atq; moribus quibusdã diuersis: etsi de hisce in ijs quę de iudicijs scripta sunt, disputatũ sit. Nanq; hoc modo ubi tractatũ fuerit, disputationem de causis urinarũ optatũ finem adeptã esse arbitramur: atq; ut & positiones, in prioribus libris factę, hoc pacto redditis causis certam

Membrum languens facile suscipere fluctiones.

tam fidem cœperint. Et ne captiosa oratio aliqua, & captu difficilis uideatur, subiungemus etiam capita illa quæ definita sunt in ijs quæ de iudicijs, ut super illis causas explicantes, mutuam fidem inter illa studentibus faceremus.

De causis urinarum per genera & ætates. Ca. VII


Irorum temperatorum urinæ sunt subaureæ, atque subcroceæ, atque mediocres in substantia, & contentis. Cuius rei reddita est causa sigillatim libro superiore à me definito. Veruntamen licebit mihi repetenti hac in parte orationẽ illam, breuibus aliqua dicere. Nanque ubi demonstratum est, in mediocribus concoctionibus sanguinis, etiam bilem reddi mediocri colore, uel crocea, uel aurea sit: decens est ut ab ea illinc distributo humore croceo, atque mistione facta cũ serea humiditate urinæ subaureæ & subcroceæ producantur: atq; mediocres substãtia in cõcoctiõibus perfectis:

Virorum urinæ quales.

quarum alba & lenia & æquabilia, atque ad fundum concedentia sunt contenta, etiam alterationem conuenientē in tertia concoctione arguentia. Virorum autem florenti ætate, atque temperatorum urinæ quales sint, iam antea dictum est. Atque super eis redditæ sunt causæ, quarum nunc etiam meminimus, ut locus postulat. Conueniens esset etiam reliqua quæ in ijs, quæ de iudicijs dicta sunt repetere, ut redditarum causarum à nobis perfecta procedat oratio. Igitur senum urinæ ad album uergentes apparent subtenues, atque diffugientes mediocritatem substantiæ, quarum cōtenta pauca, & ueluti cruda sunt. Puerorū uero ualde iuuenum urinæ colore parū inferiores sunt subaureis, & subcroceis, sed propè superant substantiam urinarum uirorum ætate florenti, at contenta plura possident. Hic sermo, ut arbitror, in ijs quæ de iudicijs, factus est. Causas uero hisce rationibus discere oportet. Ergo cum senum ætas quantū processerit, tantum erga frigidum declinat, par

Vrinæ senū albidæ.

Puerorum.

est

eſt ut urinæ & albæ, & tenues reddantur, tum genuina caliditate marceſcente, tum concoctione diminuta, obſcura taq; ab eminentia frigiditatis. Proinde decens eſt, nutritione diminuta, ut contenta minora ſpectentur, proportione reſpondentia aſſumptioni nutritiuarũ humiditatum: quoniam ſenes impotentiores reperiũtur, tum quia reſtauratio perdita, tum quia concoctio multum debilitata eſt. Eorum urinarum contenta & minora, & ueluti incocta inſpiciuntur. Puerorum uero cum naturalis & genuinus calor extiterit multus, atq; unà cum multa humiditate naturali, urinarũ colores fuere remiſſiores, quàm quæ in iuuenibus proueniunt multa humiditate madeſcentes. Qua uero abundat genuina caliditas, meliorem ſubſtantiam accidit profluere, quàm quæ in florente ætate generãtur. Caliditas enim genuina maior, meliores concoctiones efficit. Caliditas enim iuuenum florentis ætatis etiã maior cum ſit qualitate, quàm quantitate (iam enim erga acutum conceſſit) etiã

Contenta urinarum ſenum minora.

colores quos diximus præsentauit. Pue rorum uero caliditas potius quantitate præstãs, circa substantiam humorũ producendam excelluit. In quo minime mirum sit, si horum multa contẽta spectentur in urinis, si multa humorum elaboratio facta sit. Adde, pueros multum comedere solere. Quamobrẽ accidit hinc multa superflua generari. Non pauca etiam esse cõtingit ob nutritionis actionem, quæ necessitate membrorũ requirentium fit. Nanque calori opus est materia, tum ad nutriendum, tum etiam ad membrorum incrementum. Et idcirco plura contenta spectantur in pueris, quàm senibus & iuuenibus. Sed disputatio super ætatibus iã sufficiẽter explicata hic finiatur, atque de reliquis posthac dicamus. Mulierum igitur iuuenum urinæ, etsi in omnibus mediocres, mancæ tamen sunt colore subaureo atque subcroceo. Quinetiã pellucidiore quodam modo substãtia spectãtur: plura quoque contẽta quàm urinæ uirorũ habẽt. Huiusce modi iudicijs urinæ mulierũ probãtur.

Puerorum contenta maiora.

Omnium uero maxime pueri crescunt & plus calidi innati habent.

Vrinæ mulierum.

Sed

Sed causæ si subiunctæ fuerint, firmauerint iudicia. Genus itaque muliebre domesticum est, ac paucis exercitijs utēs, atque remissam habēs naturalē caliditatē habita cōparatione cū caliditate masculorū. Efficit cōcoctiones debiles. Possidet autē naturalē ignē languidū. Hæc ipsa sub albidas urinas pariūt, atque subtenues, nō perfectā cōcoctionē, et æqualē ei quæ in maribus fit, capientes. Plura uero cōtenta duabus de causis, ut arbitror, obtinentes. Nanque tū excessu naturalis humiditatis, tū abundantia superfluitatū, quæ oriūtur à debili cōcoctione, plura quoque contenta in urinis apparere necesse est. Quamobrem ab hisce quisquā si considerauerit orationē, quæ de iudicijs habita est, summo uerā esse susceperit.

Ignē, id est innatum calorem & naturalem.

De causis urinarum, quæ à simplicibus intemperaturis profluunt. Cap. VIII

DE urinarū mutatiōibus, quæ proueniūt à simplicibus intēpaturis intēsis, hoc pacto trāsigēdū esse cōuenit. Nāque caliditas parū excedēs mediocritatē, sub-

Intensæ caliditatis urina aurea.

aureas, & subcroceas etiam gignit urinas: sed plus exaucta, aureas & croceas. Quæ mediocritatem substantiarũ transgrediuntur, & splendor quidam ipsis adest: contenta uero mediocria, sed albedinem, quam secundum naturam ipsis inesse diximus, diffugientia. Contraria

Frigiditatis intensioris urina quò magis alba.

hisce producit frigiditas. Nanq; quantũ frigiditas intenditur, tantundem albescunt urinæ, atq; à mediocri substantia recedunt quodam modo. Quinetiã asperiorem planitiem, & contenta minora, & crudacea conceperunt. Interdum uero uniuersæ crassescunt, atq; conturbantur. Humiditas quinetiã obtundit naturalem urinarum colorẽ in aqueum uergentem, atq; in planitie earũ adest asperitas: contenta & plura, & crudiora spectantur. Atque hoc pacto in substantia

Siccitatum urinæ.

se habere urinas oportet. Siccitas quinimò diminuit urinis tam humorũ, quàm contentorum quantitatem: pellucidum affert & splendorem, atque color hisce adest, qualis est naturalis, & substantia mediocris, modo defectus nutritiuæ humidita-

miditatis non affuerit. Acutiores fiunt urinæ, exaucta caliditatis qualitate. Vrinæ eiusmodi se habent, quæ ab intemperaturis producuntur. At uero nunc subdamus causas iudicijs fidẽ facientes hoc pacto. Igitur caliditate intensa, ut dictũ est, mutantur urinarum colores. Ergo decens est, ut etiam in ijs, qui capiuntur ab intẽperatura calida. Siquidẽ si modesta fuerit caliditas, urinæ spectant̃ subaureæ, ac subcroceæ. Eadem uero exaucta, aureæ ac croceæ profluunt. Nã ubi ingenerata caliditas effecit bilem acutiorem, atq; humiditas ablata eandem purificando minuit, tales colores in urinis apparere necesse est. Dictum quinetiam est, ut caliditatis præstantia fiant mediocres concoctiones, atq; ab hisce urinarũ substantias moderatas apparere: par est ut eadem abundante, nõdum tamẽ dissoluente corporis ualetudinem, urinæ habeant substantiam supra mediocritatem. Neq; mirum cuiquam sit, si urinæ facies splendescat ob excessum humoris colorantis. Nanq; exaucto acumine,

Intemperici calidæ urina.

quod humiditatem asperantem consu=
mit, splendor conspectatur. Præter hæc
contenta cæteris in rebus mediocria cũ
sint, non ab re fuerit, si ob intemperatu=
ram à caliditate adauctam perdiderint
aliquid albedinis, cum tinctura quædã
ab excessu bilis distributa coloret ipsa
contẽta. Eorum autem qui à frigida in=
temperatura corripiuntur, quò magis er
ga frigidius processerit, eò albiores colo
res præsentantur in urinis. Demonstra=
tum enim est, ut humor colorans medio
cres urinas, sit crocea bilis, quæ in me=
diocribus, & perfectis concoctionibus
ingeneratur. Decens est, si concoctio
non fuerit perfectionem adepta ob frigi
dam quandam affectionem, non etiam
humor croceus nanciscetur propriũ co=
lorem, capiens spiceum uel subspiceum
secundum mensuram imperfectionis.
Quamobrem congruere uidetur, ut ob
mistionem sereæ humiditatis appareant
diuersi colores passim descendentes ad
album, ratione recessus à perfecta con=
coctione. Proinde urinæ humiditas con
cedit

Temperies calidior tin git urinam.

Color uri= næ secundũ coctionis gradum ua riatur.

cedit uersus crassiorem substantiam, cũ non facile à genuina caliditate domita, atq; concocta sit. Quin ob eandem ratio nem urinæ superficies aspera spectatur, quod urinæ humiditas dũ coqueretur, minus adepta est humorem, qui splendo rem affert. Ad hæc minora, & crudacea contenta harum urinarum esse. Nanq; diminuto calore etiam restauratio mi nor erit; minora uero decet esse etiam ea quæ à minore humorum assumptione proficiscuntur. Item in concoctionibus quæ ob imbecillitatem caloris prauæ ac debiles euaserunt, & contenta crudacea spectantur. Neq; mirum, si conturbẽtur & crassescant, ubi cruditas uincit ob im becillitatem coquentis, & alterantis cali ditatis. Nam ubi caliditas naturalis præ stiterit materiæ, tum ea quæ tenuia sunt, crassescunt concocta. Quæ uero alia ra tione crassa erant, hæc tenuantur, atque disseparantur. Quas ambas substantiæ species per diuersas causas potuit intro ducere intemperatura frigiditatis. Te nuia enim potius per puram ipsius intẽ

Aspera uri na.

Crassa.

peraturam: crassa uero per cruditatem humorum, quæ inerat illis per se. Humiditas quinimò argui poterit à quantitate excrementorum: confirmauerit etiam obscuritas distributi coloris. Nanque concoctio euadit imperfecta ob humiditatis excessum. Et superfluitates cum effugerint mediocritatem substantiæ, tum subtenues spectãtur, & decolores sunt, eò quod mistio fuit cum multo sereo humore. Neque quoque mirum sit, si multa & crudacea spectentur contenta. Nanque ab humorum humiditate facilis producitur restauratio, quare par est ut multa elaboratio adsit. Accidit autem, cum humidum ad restaurandum multum sit, nõ perfectam humorum elaborationem fieri. Proinde fit, ut contenta tum multa, tũ crudacea præsententur. At uero in sicca intemperatura, quæ corpori accidit, urinarum humiditates paucæ profluunt ob paucitatem humiditatis. Colores uero sunt, quales qui secundum naturam in iuuenibus, & exercitatis hominibus apparent. Quod si illa intenderetur, etiam

Humiditatis abundãtia coctionẽ imperfectã parit.

hæc

hæc ipſa increſceret. Sed urinarũ ſubſtã-
tiæ reddũt ſimiles ſanis & mediocribus,
etſi interdũ intẽdant. Colores uero eiuſ-
modi manẽt, præſertim ſi humor colorãs
nihilo affectus ſit; et ſi ille increuerit, co-
lores quoq; increſcere uidebuntur. Ve-
runtamen quemadmodum in humidita
tis exceſſibus non facile præſtat conco-
ctrix potentia, ſic nunc in ſiccis intem-
peraturis facillime præſtans, non modo
efficit mediocrem ſubſtantiam, ſed etiã
interdum quandam craſſitudinẽ infert.
Splendor uero quidam, & lenitas illu- *Splendor.*
ſtrant ſuperficiem urinæ ob uigorem co
lorantis humoris. Contenta quinetiam
pauca ſunt, cum pauca proceſſerit re-
ſtaurãdi humiditas. Eadem ſunt medio
cri ſubſtantia, atq; exacte cõcocta, quod
facile domita ſunt à caliditate cõcoquẽ-
te. Atq; oratio de cauſis urinarum in ijs
urinis quæ ab intemperaturis ſimplici-
bus profluunt, hoc pacto tractata iace-
at. Operæprecium autem eſt nõ latere,
hæc dicta eſſe ſuper quadam affectione
hominis intemperate ſe habentis, cæte-

ris (quoad fieri poteſt) mediocribus manentibus. Veruntamen quod diſputatio definiuit cauſas intemperaturarum ſimplicium, licebit uiro ingenioſo adinuenire ex hiſce qualitates complicatas ac intenſas. Ad hæc, in ijs quæ de iudicijs, dictum eſt, eorũ qui mediocriter ſe exercent, mediocres urinas profluere: ueluti quoq; in iuuenibus, & exercentibus ſe, dictum eſt. Eorum uero qui ultra quàm par eſt, laborarint, ſeq; exercuerint, urinas etiam erga croceum aureumq; colorem concedere, atq; earum contẽta pauca eſſe & tenuia, etiã in colore alterata: quinetiam interdum colliquamina quædam in hiſce innatant. Segnem uero ac ſedentariam uitam traducentium, & urinæ ad album uergunt, & contenta plura & crudacea ſpectantur. Igitur ſuper urinis eorũ qui modeſte ſe exercent, cauſæ in ſuperioribus explicatæ ſunt, ubi diſputatum eſt de homine uſquequaq; mediocri & inaffecto. Sed nunc ſubdẽdas eſſe reſtat cauſas urinarum eorũ qui immodice ſe exercẽt. Deinde ſimiliter eas,

Vrina laboribus fatigatorum.

quæ

Quæ urinarum sunt illorum qui in segni tie atq; ocio uitam terunt.

De causis urinarum eorum, qui se plus iusto exercent, ac segniter uiuunt. Cap. IX.



Vm maior quàm par est, fit calidi motio accensa ab exercitijs externis plus isto exauctis, tum bileus humor turgescere reperitur, atq; cōburitur ab intensa caliditate. Quinetiam per eiusmodi accensionem urinarum colores ad croceum aureūq; attolluntur. Diminuta ergo serea humiditate quæ tēperabat, atque bilei humoris adducta qualitate, necesse est contenta & pauca & tenuia spectari. Quoniam uero membra ab excessu caliditatis attenuantur, & disperduntur uaporificata sudoribus, uel alijs occultis spirationibus, rarefacta ob exercitia pelle: decēs est, ut exauctis eiusmodi exercitijs aliqua colliquamina in urinis appareant innatantia, profecta uel à renibus, uel fortasse ab alijs quibusdā partibus corporis, tum multa cum motu caliditate aliquo pingui colliquefacto.

Crocei & subaurei coloris ratio.

In iis uero qui ociosam & inertem uitã uiuunt, urinæ recedunt à mediocritate coloris, uergentes ad album, ob paucitatẽ calidi motionẽ habẽtis, ac in seipsum inclinãtis, atq; uacatione motionis marcescentis. Siquidem ueluti in rogis euenire solet, ubi ligna sufficienter congesta fuerint. Nanq; si quisquam extrinsecus motus factus sit, facilius accenditur atq; comburitur materia: & si quicquam proiectum in rogum fuerit, statim tempore ab igne deuoratur. Vbi uero nulla foris adhibita fuerit motio, tum segniter corrogata materia uritur, atq; metus oritur non paruus, ne ignis extinguatur à multa diuersaq; superimposita materia. Non aliter accidere solet ociosis & exercitatis hominibus. Eam ob rem ad albũ inclinat color urinarum illorum, qui segnem & quietam uitam ducunt. Cõtenta uero earum & multa, & crudiora spectantur. Nanq; quieta uita facilis restauratio fieri potest, atq; alteratio, sed concoctionem facit caliditatis præstantia. At quia demonstratum est, ut caliditas non

Eorum qui in ocio degũt urina.

Scintillæ enim lignorum multitudine adobrutæ, periculum est ne extinguantur.

non mota tractu temporis tabescere soleat, decenter in uiris ociosioribus accidit plura spectari contenta, atq; crudiora, frustrataq; adeptione perfectæ cōcoctionis. Atq; hac in parte terminetur oratio de causis urinarum exercentium, atque ociosorum. Posthac uero transeundum est ad causas assignandas super urinis ab horis, atq; regionibus alteratis.

De causis urinarum uariatarum ab anni temporibus, & à regionibus. Cap. X.



INeunte Vere urinarum colores albi sunt & subspicei, etsi interdum crassescant. Quantitas uero humoris earū maior profluit habita ratione ad comesa. Contenta quoq; & plura, & crassiora spectātur. Sed procedente tempore uersus calidum, colores ascendunt ad mediocritatem: eodem modo contenta. Aestate uero ineūte urinæ subaureæ & subcroceæ, cōtenta uero tenuiora exeunt. Sed æstate uigente urinarum fluores pauciores sunt habita ratione ad comesa, sed uergentes ad aureum atq; croceum. Quarū

Vernæ color urinæ & quantitas.

Aestiua urina.

substantiæ sunt pauco recedentes à temperato, etsi quidam splendor in eis refulserit. Contenta quoque & tenuia & minora, atque colorata supra albedinem sunt. Declinãte uero æstate, atque autumno ineunte, remittuntur colores tam fluoris, quàm contentorum, sed tenuia etiã manent. Procedente uero ad frigidius, etiã colores mediocres redduntur. In hybernis uero comestionibus urinæ sunt quãtitate mediocres, sed subalbidæ, contenta plura, substantiæ mediocres. Vigente uero hyeme, color urinæ albus est, substantiæ uero inæquales. Nam interdum crassæ, interdum tenues spectantur. Quantitas fluoris maior quàm mediocris: contenta uero & plura, & crudacea frequentius inspiciuntur, quæ differentijs horarum anni alteratæ eiusmodi urinæ breuibus repetitæ uidẽtur. Reliquum est causas super hisce repertas docere. Nã hoc pacto facta disputatione facilius erit reddere causas super regionibus, quæ ratione respõdẽt ipsis anni temporibus. Sed repetenda sunt prædicta

Autumni urina.

Hyemis urina.

cta, ac super unoquoq; eorum reddēda est causa. Ineunte igitur Vere, atq; sole uersus nos reuertente tum, cū Vergiliæ intempesta nocte spectantur, urinarum colores etiam sunt albi & subspicei, & substantiæ inæquales, sed quantitate maiores, contētaq; & maiora, & crudacea. Quandoquidē frigoris adhuc dominantis ambitu uincitur genuina caliditas: quare defectus cōcoctionis accidunt, tā in colore quàm in substantia. Quia uero comesa plura sunt, multorū uero comesorū plures sunt superfluitates, atq; contenta urinarū ex hisce etiā plura & crudacea spectari necesse est, non ut par est domitis humoribus. Ad hæc maiores urinæ profluunt ab humiditate humorū in corpore per totā hyemē collecta. Hyeme enim ubi multi cibi assumpti fuerint atq; longiores trahentur somni, aderitq; aëris qualitas frigida & humida, decens est, ut humorū crudorū non parua congeries cumuletur. Quinetiam hyeme etiam manente spissatur eiusmodi materia, ac paruo forte plures, q; mediocritas

Ratio urinarū secundum tempora.

Hyems corpora implens humoribus, ea reddit crassiora.

postulat, profluunt. Sed ubi Ver illuxerit atque aër etiã humidus maneat, iamque humores melius concocti ac soluti, tum urinæ maiores, quàm assumpta comesa deceat, mingũtur. At uero tẽpore procedente, tumque cum Suculæ orientales apparuerint, & colores & substãtiæ, nõ modo contenta, ad mediocritatem concedunt. Siquidem aëris dum qualitas extiterit temperata, omnia quoque quæ ab hac antea facta temperatura alterantur, ad mediocritatem reducuntur. Quando uero aëris qualitas non adeò frigida fuerit ut genuinam caliditatem lædere possit, nec adeò calida ut disperdere ualeat caliditatem quæ in nobis est, tum naturales uires actiones nostras excitant ad mediocritatem, & id quod secundũ naturam est, modo nihil extrinsecus impedimento adstiterit. At uero cum orientalis Orion exoriri cœperit, iamque æstiuum solstitium aderit, tum urinæ apparent subaureæ atque subcroceæ, & cõtenta mediocribus tenuiora, idque decenter. Calore enim libere in toto corpore diffuso,

Suculæ, quæ & Hyades.

Orionis exortus sexto Calẽdas Iulij.

fuso, atq; dominante præsenti materiæ, concoctioneq; facta ut decet, etiam urinæ profluere probantur mediocrem colorem habentes, sed tenuiores: nec aliter se habent contenta in eis: horum plures partes tenuantur, atq; disperduntur ab aëris caliditate. Vigente uero æstu, tũcq; cum Canicula orientalis exoritur, urinę quantitate minores profluunt, habita ratione ad comesa. Quinetiam attollũtur ad colorem aureum & croceum, & earum substantiæ sunt tenuiores temperatis: item contenta & pauca, & tenuia, atque quodammodo coloratam albedinẽ ostendentia. Siquidem aëris calore qui nos ambit, uigente atq; attrahente ad se nostrum hunc naturalem ignẽ, eundẽq; in qualitate intendente, maiores fiunt, ac frequentiores bibitiones: minores uero excretiones, quàm bibita postulant, partim dissoluta materia in sudores, partim disperdita per occultas euaporationes. Quinetiam adaucta bili ab aëre æstuante, etiã colores memorati spectantur. At calore naturali disperdito, con-

Caniculæ sidus exoritur, sole primum gradum Leonis ingrediente.

Substantia urinæ æstate cur minuatur.

coctiones secundum naturam diminutæ proueniunt. Idcirco urinarum substantia tenuior gignitur, contenta quoq; colorantur ab abundantia bilis, sed minora & tenuiora spectantur, quod disperditur & tenuatur materia, atq; concoctiones debiliores fiunt. Plura itaq; ex his quæ dicta sunt, accidunt ob colorem naturalem extrinsecus expugnatum. Ineunte autem autumno, cumq; Arcturus exoritur, remittuntur colores tam fluoris ipsius quàm contentorum in eo, concedẽdo ad mediocritatem, sed remanẽt tenuia eatenus & pellucida, & pauca. Si quidem calore uehementer diminuto, etiam colores qui ob illum uehementẽ excreuerant, incipiunt subduci, quousq; desinere uideatur caliditas. Quinetiam ob aëris præstantem siccitatem, & minora & pellucida, tam urinarũ fluor, quàm contenta in eo spectantur. Procedente uero tempore, atq; tum cum Vergiliæ orientales occidunt, tam colores quàm contenta mediocria sunt: quod concoctiones meliores fiant, ubi nimia euaporatio

Huius exortus est XI. diebus ante æquinoctium Autumni.

ratio

ratio acta sit caliditatis aëris cõpressæ. Nanq; frigidis uentis superfluitatibus caliditas genuina resumit uires, atq; temperamentũ omnibus concoctionibus affert. Cũ autẽ hybernũ solstitium aderit, Capraq; orientalis occidat, tum colores à mediocritate recedũt, atq; substãtiæ tenuãtur: contẽta uero multiplicãtur, forasse etiã mediocria seruãtur. Quãdoquidẽ aëre frigidiore redacto, unà quoq; alterat̃ quodãmodo interna caliditas, atq; increscit humor pituiteus, ita ut decens sit ut humor colorans qui in in nobis est debilitatus obscuretur. Quia uero ciborũ sumptiones ampliores fiunt, & cõcoctiones sunt ualidiores, eò quod tum calor roboratur, ac somni longiores accedũt adiuuãtes ipsas cõcoctiones, fit ut cõtenta plura spectentur. Vigente uero hyeme, atq; tũ cũ Fauonius spirare inceperit, urinarum humiditas maior est, habita ratione ad comesorum, quantitatem, atq; albæ inspiciuntur, & inclinant ad substantiarum intemperaturas; contenta uero in hisce plura existunt, atque

Ventres hyeme calidissimos esse natura dixit Hippo. ob id coctiones edi perfectiores nihil mirũ.

crudiora sunt. Quandoquidem frigore aëris eousque exaucto, ut etiam noceat genuinæ caliditati, bileoque tum prorsus tabescente humore, albas profluere urinas compertum est, sed differentes substantijs. Nam aut erunt tenues, eò quod non adeptæ sint perfectam concoctionem, quod accidit ob præstantiam frigiditatis aëris, aut crassæ, & conturbatæ ob humorem, qui crudus uocatur, per proprium tempus uigentem. Eò uero quoniam genuina caliditas non potest domare, & concoquere multa comesa præsentia, quodque frigus proprietatem habeat cogere materias, contentaque plura apparent profecta à multa elaboratione nutritionis. Cruda uero & crassiora interdum uidentur, aut præ frigiditate tabefaciente genuinum calorē, aut præ materia in restaurationem sumpta longe maiore, quàm uirtus ualeat per caliditatem perficere. Hæ igitur sunt causæ urinarum mutatarum per singulas horas anni, quæ reddi possunt ab ijs, qui studijs harum rerum delectātur. Ac unusquisque

Contenta cruda & densa.

quisque ab hisce sumpto principio considerationis poterit quoque reddere causas quæsitas super regionibus. Causæ uero urinarum in diætis commutatis rationẽ habebunt similem illis, quæ explicatæ sunt super intemperaturis.

De causis urinarum profectarum à nutrimentis bonis & malis. Cap. XI.


NOn mirum cuiquam esse debebit, si è nutrimentis bonis & percoctilibus faciles concoctiones urinarum appareant, atque syncera contenta. Siquidem calore naturali facile alterante quæ bene coctilia sunt, atque expedite elaborante concoctionem bonorum nutrimentorum, promptissime omnia perficiuntur, atque omnia quæ in urinis contemplãtur, hæc mediocria inspiciuntur, quemadmodum in opposito. Nam in cibis malis, & incoctilibus tam ægre concoctiones fiunt, quàm disperdita & uaria contenta spectantur, uirtute cõcoctrice nõ suscipiẽte humores ad alendum ineptos, sed illos respuente siquando fortasse ex-

Cibis euchymis simi lia fieri con tenta, & contrà.

hiberẽtur. Fiunt enim incoctiones præter cætera ob ineptitudinem ciborũ comesorum: aut enim uirtus cõcoctrix lædi solet à qualitate comesorum, aut ab eorum quantitate tanquam obruta deti-

Virtus oppressa ciborum multitudine refugit ab opere solito.

neri. Nanq; multa, ac uirtutẽ exuperantia non facile domari possunt à naturali caliditate. Quæ uero praua sunt qualitate, ea non aliqua ratione admittuntur, uirtute tractrice familiaria nutrimenta solummodo attrahente. Et si qua fortuna illa fuerint admissa, eadem ab expultrice uirtute excernuntur. Admitti autẽ illa possunt ob uirtutis aliquam læsionẽ ab aliqua illatam affectione. Atque de hisce hactenus.

De causis urinarum somnolentorum, et insomnium. Cap. XII.



SOmnolentorum urinæ enarratæ sunt, quæ colorem ad album uergunt. Sed substantia sunt uel modice tenui, uel crassa ditatæ contentis pluribus atq; cru-

Eorũ qui sine somnis, urina.

dis. Insomnium hominum uero præsertim male sanorũ urinæ dictæ sunt eiusmodi:

modi: nãq; sunt tenues, & uersicolores, interdum albæ apparentes, interdũ croceæ & aureæ, ac oleaceæ & nigræ. Sed in cõtentis sunt magis extraneæ. Nanq; aut ipsa contenta deficiunt: aut præsentia si fuerint, illa sublimantur, & aspera & coloribus malis spectant. Quæ dicta sunt in ijs, quæ de iudicijs scripta sunt. Nunc uero causæ hoc ordine subiũgendæ. Siquidem nouimus somnum secundum naturã, & hominis sani fieri ob humiditatem suauem, atq; mediocrem caliditatem naturalem: hominis uero aliter affecti somnum accedere ob humiditatem multam, præsertim pituiteam, atque ob comesa, & medicamina frigida. Sed uigilias nouimus euenire maxime ex parte ob siccitatem: interdum etiam ob caliditates multas. Cum igitur hoc uel illo modo affectis hominibus, & somni, & uigiliæ fiant, decente ratione etiam urinæ eiusmodi profluunt. Demonstratum enim est, ut ad album uergentes urinæ, concoctionẽ defecisse demonstrent: ac nihilominus

Somnum Aristo. definit esse exhalationem actam à spiritus naturalis motu uersus ensoria.

hisce incoctionem demõstrant substan-
Cruda urina alba. tiæ urinarum, cum declinauerint à me-
diocritate, atq; præter hæc etiam conten
ta crudacea, atq; multa. Igitur ubi eius-
modi cruditates fuerint mediocres, sen-
sibilem læsionem non afferunt patienti-
bus, sed faciunt ut dormire ament. Nan
que humiditate cruda paulatim calefa-
cta atq; soluta, multi uapores humidi as-
surgunt, cerebrum uero illorum multa
nutritione fruitur. Quoniam uero non
facile hisce humores deficiunt, non etiã
uapores ab illis orti defecerint. Quam-
obrem accidit eo pacto abunde madere
cerebrum, atq; somnos plurimos gigne
Somni naturalis generatio. re. Arbitramur enim somnum generari,
ubi nutrimentum bonum distributum
in cerebro concoquatur, dumq; ipsum
cõcoquitur, & sensus animalis intus col
liguntur, uirtute maiore coërcẽte mino
rum actiones. Postquam uero contige-
rit, ut assumptum nutrimentum conco-
ctum sit, soluuntur eo nexu sensus, atq;
hoc pacto animalibus uigiliæ repetun-
tur. Sed tractatio de somno ab alijs suf-
ficienter

ficienter explicata, nunc relinquatur à nobis, atq; procedendum in incepto. Ergo somnolentorum urinæ ob eiusmodi causas fiunt: Insomnium uero cõtrariæ, ob contrarias causas, ut arbitror. Quandoquidem quæ desiccare consueuere, hæc suapte natura uigilias introducunt. Quamobrem crocea bilis eo modo attenuata, & cerebro distributa, non solum nõ ingerit ei nutrimentum madefaciẽs, uerumetiam aufert id quod adest, ita ut inde homo uigilet. Nanq; eiusmodi colores potius esse proprios croceæ bilis demonstratum est. At uero quod contenta sint signa concoctionis dictũ est. Concoctio uero non tã facile gignitur, si aut aliqua intemperatura excesserit, aut usquequaq; euigilauerit homo. Decens est ut contentorum spectetur inæqualitas, atq; confusio maxima. Vrinæ uero albissimæ, atq; tenuissimæ profluunt, aut ob bilis regressum ad ipsum cerebrum, & ita manentes significant uigilias à bile moram trahere in cerebro, aut ob insaniæ speciem. Nanq; maxima

Siccitas uigiliæ ut humiditas somni causa.

Insanientium urinæ albæ.

ex parte urinæ eiusmodi insanientium sunt. Quinetiam urinæ oleaceæ, atque nigræ frequentius mortem minantur. Neque mirum si qua insomnes homines efficiantur, ut & insaniam eius afferunt. Has causas super hisce habere poteris, etiam aliis in locis dictas, ita ut fugiendum sit dicta redicere adeò inopportune: procedendum uero posthac, ut reliqua explicentur.

De causis urinarum profluentiũ ab ijs, qui uel ob satietatẽ uel famem non concoxerunt. Cap. XIII



Vlta interdum comessantiũ, & non concoquentium urinæ albæ tenues, ac hypostasi priuatæ spectantur. Atq; pro crastinantium in cruditate urinæ fiunt, substantia & contentis extraneæ. Contrà uero eorum, qui inedia laborarũt, primum aureæ & croceæ & tenues, & priuatæ contentis urinæ spectantur. Fame uero pressorum albæ, tenuesq́;, ac hypostasi priuatæ proueniũt, atq; ad prauos quosdã colores trãsmutantur. Sed super hisce

Vrinæ cibi copiosioris & defectus

hisce (quoad fieri potest) reddēdæ sunt causæ uolentibus, quæ nō contēnendæ uideri poterunt acribus rationum exquisitoribus. Igitur cū cōcoctio fieri soleat ubi comesa fuerint domita, cruditas uero ubi comesa multū excesserint mensurā, quēadmodū ubi cruda minus excesserint mediocritatē: decēs est, ut hac ratione dū homo se multis cibis onerauerit, error à perfecta concoctione cōtingat. Nanq aut nihil, aut parū natura uidetur elaborasse super comesis: cū neq colorē, neq substantiā mediocrem effecerit, atq abstulerit contenta, tantopere distans à concoctione. Veruntamē in quibus minus iusto deciderit, tractu temporis uero onerata inducitur, ut sustineat errores eiusmodi, atq uirtus semiperfectas actiones producit. Similiter dicendum de impransis. Quandoquidē semper naturali calori comesis opus est, ut & seipsum confirmet, & partes corporis nutriantur, ubi sufficiens collecta materia fuerit, tum quæ decet fieri, fiūt. Vbi uero illa defecerit, tū in seipsum conuer

Ad coctionem opus est caliditate naturali.

titur, ac si quam esse humiditatem conti gerit, illam deuorat: qua ablata ipse acu tior redditur, & crocea bilis proficit au= gens siccando, & calefaciendo. Proin= de urinæ proueniunt secundum illam calidi affectionem, minora uero conten ta spectantur ubi deerint homini alimen ta: quæ cum concocta sunt & nutriunt, demittunt hæc signa nutritionis. Verun tamen postquàm calor quoad fieri po= test, surrexerit, atque intrinsecus indigue= rit nutrimento, statim ipse contabescit. Ipso uero calore tabescente, etiam cor= poris habitudo statim parata est conce= dere erga frigidum & album, & paruũ. Deinde etiam ad peius uergentes colo= res, & coloribus mutuo se habentes sub stantias reddit. At uero de huiusmodi re bus cum satis dictum sit, ut arbitror, di= sputatio terminetur. Neque uos latere ue lim, qui ita mediocrem mensuram mul= tæ disputationi habendæ super hisce re= bus feci, ut etiã opus esset super reliquis aliam tractationem facere, atque illos im plicari circa infinita: qui dum per uiam

breuio=

breuiorem exactam doctrinam capere cupiant, per aliquas alias disputationes id credētes, seipsos in lōgas tractationes intrudunt. Quamobrem decere uidetur ut ab hisce tanquam ab alio initio aggressi, referamus causas inuētas super reliquis quæstionibus. Nanq; hoc pacto à nobis facilius, & distincte explicabit propositū, atq; studētibus prōptius licebit uerbis paucis pręcepta multa discere.

De causis urinarum per genera ægritudinum. Cap. XIIII.



Icendū est hac in parte de urinis apparentibus in singulis ægritudinum generibus, atq; earum causæ reddendæ. Siquidem hoc pacto decētem per singula capita structuram suscipiet disputatio, atque finis decens toti orationi statuetur. Igitur dictum est in tractatibus de iudicijs urinarum: in febribus ephemeris puris, nulla causa alia præsente, uidere quisquam poterit urinas ullo digno momento mutatas. Nanq; si quo modo cōtingeret mutari, perparū atq; occulte muta-

In febribus ephemeris mutatio urinæ exigua est.

rentur. Febribus enim ephemeris generatis ob alteratione͂ solius spiritus ad calidius intensi, par est, ut ne in urinis etiã manifesta spectetur alteratio. A paruis enim occasionibus parua momenta, à magnis magna proueniunt. Quum itaque urina demonstret humorum alterationem, ephemeræ uero febres oriantur è mutationibus spiritus, ut dictum est, ad calidius intensi: decens est, ut aut nullo pacto, aut perparum alterentur ephemerarum urinæ. Nanque priusquam humorum materia sentiat alteratione͂, quæ manet in spiritu naturali: illi soluuntur, ubi sortiti sint diætã decente͂. Sed tamen in febribus ephemeris, cũ parua quædã mutatio fiat, etiã modicæ spectantur in urinis mutatiões. Quod si qua forte aderit in corpore materia corruptilis, usq; adeò ut parua mutatiõe indigeat ad inflãmandũ, facile inflãmat & cõburitur, atq; excitabit febres putridas. Vrinæ uero apparebũt, quales in putredine humorũ puenire febres solent, de quibus mox dicemus. Febriũ ergo in putridis humoribus

Et ægritudines occultas obscura sequi signa par est.

Febriũ putridarũ urinæ.

bus factarũ, quæ fuerint deficientes, hæ urinas alias: quæ uero fuerint cõtinuatę hæ urinas alteras eijciũt, & secundũ differentiã putrefactorũ humorũ, atq; cõtinuitatẽ, & deficiẽtiã in eis. Dicẽdũ itaque prius nobis est de febribus quæ deficiũt, earũ causas reddẽtibus. Deinde de reliqs, ueluti ratio ꝓcedẽs mõstrauerit.

De causis urinarũ profluẽtium in utrisq; tertianis. Cap. XV.

PVrarum tertianarum urinæ erga aureum & croceũ (ut dictũ est) colorẽ attollunt̃: substantia uero earũ ostendit̃ mediocritate crassior. Ac in primis diebus nihil contẽti eijcitur. Tẽpore procedente tã cõtenta spectãtur, quàm colores ad mediocritatem, & ad id quod secundũ naturã, concedũt, atq; ægritudinis solutio breui aduentura speratur ab ipsis cõcoctionibus præmonstrata. Eiusmodi sunt iudicia tertianarũ putridarũ deficientium ab urinis facta. Nunc par est ut subdamus earũ causas. Igitur bilis crocea ubi exaucta sit per aliquam causam

Tertianæ febris urina.

illius generatricē, & extra uenas aberrauerit, tū febres uocatæ tertianæ generātur, atq; deficientes fiunt, tanquā in uenis bilis multa non adesset. Venæ autē ipsæ etsi participes fiant eiusmodi humoris, tum ob uicinitatem, tum ob humoris ipsius a bundantiam, non ita tamen ut cum eo etiam sanguinis dulcedo misceatur: hac enim cōtinuæ febres hæ essent. Quoniā igitur extra uasa sepositus est eiusmodi bileus humor, putrefactus est quodam modo: idcirco demonstrabit tam putredinem, quàm defectus, quos passim facit. Colorantur autem urinæ ratione bilis iniectæ. Veruntamen quod bileum hunc humorem nō bene corruptum esse in febribus tertianis demonstratum est, iccirco colores, quales diximus, inspiciuntur: atq; à multitudine & moderata bilis crassitudine, quæ per urinam separātur, euenit ut urinæ substantiæ crassior, quàm mediocris est, spectetur. Absunt autem contenta in primis diebus ratione cruditatis, atq; cuiusdā oppilationis. Nanq; quod nōdum

dum natura potuit domare materiã, neque concoctionibus usquequaque incubuit: quamobrem neque contenta spectantur, quæ signa sunt concoctionis. At uero ubi natura se collegerit, atq; roborata fuerit, expulsæq; sint superfluitates, retentis ijs quæ utilia sunt, recteq; & cum ordine tractata sint ea quæ ad humorem affluentem spectant: tum concoctionis apparent signa, hoc est cõtenta. Quinetiam ad mediocritatem tam colores quàm substantiæ concedunt. Sed oratio super urinis profluentibus in tertianis puris, hæc ipsa est breuibus explicata. Impurarum uero tertianarum urinæ aureum colorem excedunt, ita ut ad uineum etiam colorem attollantur: substantia uero sunt crassiore, quàm quæ in tertiana pura spectatur. Contenta uero harum urinarũ uel pauca & praua sunt, uel à principio nullo modo apparent. Sed decens erit, si quisquam dixerit impuram tertianam magnitudine & qualitate bilis superasse tertianam puram, ita ut longiore tempore ad concoquendũ

opus sit. Siquidẽ eiusmodi urinæ, ut etiã superius dictũ est in ijs quæ de iudicijs, & causis colorũ scripta sunt, proueniũt à maiore & deteriore bili. Neq; mirũ sit si maiore tẽpore ad cõcoquẽdũ opus sit. Nãq; multa ubi fuerit materia putrefactilis, maiore tẽpore ad cõcoquendum potente uirtute indigẽs est. Sed tamen fortasse de hac re in disputationibus de præuidentijs, memoratum fuerit. Nũc uero ad aliud caput transeat oratio, quæ per quàm satis in hisce immorata est.

De causis urinarum quartanarum. Cap. XVI.



Vartanarum quæ potius originem à liene traxerunt, primis diebus urinæ sunt albæ: atq; substantia tenui. Tempore uero procedente, præsertim diebus quietioribus, spectantur contenta earũ cumulata atq; crudacea, ac interdum totus ipse urinæ fluor turbidus apparet. Diebus uero afflictionem habentibus, adhuc etiã tenues se ostendunt: & contenta mediocria, atq; tenuia, cum erga solutionẽ passio uergat, Interdũ etiã nigræ

Quartanarum febriũ urin.

græ urinæ ſpectantur, quæ indicant ſo-
lutionem paſſionis, quæ corpus occupa-
rat. Febres præterea, quæ quarta quaq;
die afflixerint, euidentiam habent me-
moratæ febris quartanæ; ſed multo citi-
us deficiunt, eò quod potius generātur
à calida hepatis intemperatura. Harum
urinæ ſubrubeæ atq; rubeæ, talesq; qua-
lis rubrica eſt, ſpectantur. Quarum ſub-
ſtantia primum tenuis eſt, interdum etiā
craſſeſcunt: contenta uero non abſque
aureo colore oſtenduntur. Sed tamen
aliquando accidit, ut earum urinarum
contenta extranea uideantur, ſicuti etiā
colores ipſius urinæ fluoris. Demōſtra-
tum eſt autem alijs in locis, ut quartana
febris deficiens à uictu frigido & ſicco,
qui humorem melancholicum peperit,
generatur. Ergo quotieſcunq; eiuſmo- *Quartanæ*
di humor exauctus fuerit, atq; circa lie- *conſtitutio.*
nem firmatus, tum quarta quaq; die af-
flictionē mouet, ac urinas albas & tenu-
es eijcit. Nāq; eiuſmodi humor cū craſ-
ſus ſit, atq; idcirco oppilās: itē cum frigi
dus ſit, hac ratione calorem genuinum

lædens, prauæ concoctiones fiunt, ac tenues & albæ urinæ spectantur: sed nihilo minus ob importunitatem frigiditatis humoris, quàm ob cooperturã, quæ fit in meatibus. Nanq; humor exauctus oppilãs præ crassitudine, etiam attenuata à frigiditate tenuiora exire efficit. Quinetiam tempore procedente humoris tempore tenuati, materia facilis ad transeundum redditur uasis urinarijs, & hypostasis cumulata spectatur, aut per totum conturbantur urinæ. Veruntamẽ urinæ crassæ, & cõtenta earũ apparẽt ob tenuatos humores, albidi uero colores uidentur ob humoris frigiditatem, quæ concoctionem ueluti cogens non sinit modestam substantiã urinis largiri. Neque mirum esse debet, si diffluentibus nigris urinis solutionem quartanæ coniectemus. Humor enim melãcholicus ueluti principium, atq; radix extitit ipsius quartanæ: qui dum excernitur, ostendit hominem ægritudine liberari. Neq; usquam uisum est, si cuius stirpis radix fuerit abscissa, uel supra terram eradicata man-

manserit, non etiam ea quæ post ipsam radicem ueluti post principiū orta sunt, mortua cum sint, corrumpantur atq; tabescāt. Quartana uero, quæ recta ratione uocatur notha, eò quòd hepar male affectum sit, illiusmodi urinas transfundit. Quandoquidem eo uiscere calidum apostema patiente: item etiam nimium concalfacto per defluxum quendam calidioris materię simul calefacit omne uenarum genus, sanguis uero feruet: sed bilis præmissa afficit ita corpus, ut contingat ob hæc ut urinæ mutētur in eiusmodi coloris speciem. Quinetiam interdū accidit, ut earum contenta extranea uideantur ob oppilationes, & inopportunas diætas, aut ob humorem, qui tingit cōcarceratum, aut transmissum ad alias corporis partes. Præter hæc si pulsum tangere oporteat, minus exacte ab eo coniectaueris hanc deficientem febrem esse, ita ut continuam potius esse quisquam dixerit quarta quaque die affligentem. Quoniam uero, etsi rationibus credendum sit, interdum opus est, ut

Hepate inflammationem patiente, uenarū omne genus patitur

acquiescamus nominum consuetudini potentiori: atque simpliciter hanc quartanam appellemus, cum hoc ipsum uiuideatur uirorum compluribus.

De causis urinarum in febribus amphemerinis profluentium. Cap. XVII



Mphemerinæ febris urinæ albæ, & tenues, atque aqueæ sunt primum. Tempore uero procedente crassescunt, & cumulatas hypostases ostendunt, humore iam concocto. Atque huiusmodi febris (ut dictum est) producitur à frigidis & humidis cibis, atque uictu gignente humores illis similes. Quamobrem ob hęc omnia crudum hoc pacto, & pituiteum exauctum humorem dicere possumus lædere genuinã caliditatem excessu frigiditatis, atque claudere meatus: quare tenues & albæ, & sine hypostasi urinæ spectantur. Contrà uero (ut dictum est) naturali calore dominante, & alteratio, & cõcoctio, atq; nutritio fit. Sed hoc decidẽte à proprio munere, etiã urinę aberrare ab eo quod par est, spectant. Verũtamen

Vrina febris amphimerinæ.

Calore uincente naturali, & cæteræ uirtutes meliores euadũt.

tamen refirmata genuina calíditate attenuatur quod multum erat craſſum, atq; ſequeſtrantur ſuperflua cruditatis. Sed oratio de febribus deficientibus, cum reddiderit ſufficientes rationes ut cauſæ caperētur, hoc in loco terminet̃. Poſt hac uero referamus cauſas urinarum febrium coniunctarum, & continuarum, atque earum quæ generantur ab aliqua immenſa calíditate: Deinde earũ quæ fiunt ab aliqua frigiditate, ut ſuper hiſce capiens cauſam oratio, poſſit eo pacto terminari.

De cauſis urinarum profluentium in continuis febribus. Cap. XVIII



Ebrium coniunctarum atq; continuarum urinæ uerſus deteriora concedunt, contenta quoq; praua ſpectantur, atq; uaria, præ qualitate humorũ excedētiũ. Nanq; febres putridæ aut à pura bili putrefacta generantur, aut à ſanguine, aut à pituita aut à bili nigra, aut ab omnibus miſtis: ueluti fiũt à duobus aut tribus humoribus differentibus complicatis. Sed

Febriũ putridarum ortus.

tamen febriũ ortarum è simplicibus humoribus facile quisquam & iudicia, & causas concipere poterit, atque illas redдere. Complicatarum uero difficilis est exacta cognitio: & illa mutua complicatio proprio nomine uacauit. Posthac memorauerimus simplices febres tanquam captu faciles: de quibus superius in tractatibus De iudicijs eas declarando diximus. Complicationes uero, eò quod nominum propriorum appellatione uacauere, sinamus ut qui hisce studijs indulgent, opinando discant. Igitur febrium à corrupto sanguine orientium urinæ subrubeæ, & rubeæ, atque uineæ profluũt, pauloq́; post crassescunt: & similiter contenta proueniunt. Verumtamen cum in hisce febribus sanguinis incrementum adesse uideatur in uenis: ubi uero incrementum, mediocritatem, & quod decet excesserit, aliqua etiã corruptio sequať, par est, eò quod ob multitudinem domari non possit sanguineus humor huiusmodi: cuius quãtum inutile, atque superfluum est, in urinis sequestratur,

Coniunctarum febriũ cognitio nõ æque facilis ut simplicium.

Febrium à sanguine notæ.

questratur, atque eiusmodi colores præ sentat. Quinetiã eiusmodi urinæ consue uerunt citius quàm cæteræ crassescere ob proprietatem humoris præsentis. Siquidem humor hisce pauco quodã momento indiget, ut consequatur cõcoctionem. Quoniam uero uirtus cõcoctrix superatur à multitudine, arguunt contenta, quæ non susceperunt colorem secundum naturam. Bili uero præstante, atque putrente in genere uenarum, urinæ croceæ & rubeæ interdum apparẽt: frequentius uero spectãtur passeæ, & uirides, & nigræ. Atque in hisce si contenta affuerint, apparẽt bileacea, & ualde praua. Siquidem ubi eiusmodi humor præstiterit, etiam uicinitate corruperit sanguinem, atque multitudine & qualitate detruserit uirtutem, inditusq; humoribus nutrientibus: ostendit contenta difficilia, atque prauos urinæ fluores. In febre uero continua ob putrefactam pituitam urinæ apparent subalbidæ atque crassæ, ueluti glaucæ, & charopæ. Nanq; colore arguunt qualitatẽ hu-

A bile signa.

A pituita.

moris tingentis, & contenta earum sunt crudiora ob humoris malam ad coquendum habilitatem, aut ipso ob multitudinem præstante genuinæ uirtuti, aut ipsa uirtute per se patiente, & quæ à paucis humoribus facile defatigatur. Melancholicus uero humor siquando putruerit, ac discurrerit corpus, febrem effecerit, quæ degeneris est ob exauctum humorem in humore pituiteo. Huius urinæ fortasse albæ & tenues primum profluunt. Sed cum ipse humor unà descendit, ueluti ad exitum ueniret, tum urinæ apparent uenetæ atq; nigræ. Quarum priores illo modo apparent ob operturam, quam facit humor, ac ob eius momentum sursum uersus: Posteriores uero ob exoppilationem meatuum, atque momentum humoris uersus deorsum: & hæc raro apparent. Scire autem oportet, nobis propositum esse disputare de ijs quæ plurimum apparent, nõ de ijs quæ raro contingũt.

A bile atra

De causis urinarum profluentium in calida affectione membrorum principalium affectorum. Cap. XIX.


E urinis profluentibus ab ijs, qui inflationem calidã & erysipelata in principalibus partibus internis patiuntur, dictũ est abũde in ijs quæ de iudicijs urinarũ: nunc uero reddendæ sunt causæ. Siquidem hæc quò fuerint uiciniora fonti caliditatis, eò magis & ob uicinitatem, & ob principatũ urinæ tinguntur, eò quod principales partes maxime patiuntur. Sed tamen primum tenues spectantur, atque absque contentis. Est ut aliquãdo per congregantem materiam ab attrahente caliditate præter naturam, concoquantur, & quod natura semper uertatur circa ea quæ urgẽt. Neque par est ut ipsa obliuiscatur prauorũ distributorũ eiusmodi, etiam cum multum fuerit afflictata, idque fit quia materia excedit, aut quia uirtus ipsa ante certamen laborat. Vbi uero cõcocta fuerit inflatio, urinæ craſ-

Causæ urinæ coloris in affectibus mẽbrorum principalium calidis.

ſeſcunt, atque remittuntur de intenſo colore, & cumulatas atq; corruptas hypoſtaſes habent, cum illinc ſequeſtratæ ſint ſuperfluitates. Sed interdum accidit, ut etiam pus mictus ſubſideat, qui de affecto membro profluxit.

De cauſis urinarum, cum principalia membra affecta ſint affectione frigida. Cap. XX.



Vm principalia membra ſint affecta frigiditate, tum urinæ ſpectantur albæ & tenues (ut dictum eſt) atq; frequentius abſq; contentis: interdum uero etiã craſſæ cum contentis crudis & pituiteis. Et cum albedinis latitudo multa eſſe contempletur ſecundum menſuram frigiditatis, etiam urinæ albæ tranſmittuntur. Nanq; ubi corporis pars affecta ſit pauca aut multa frigiditate, ſecundum frigiditatis quantitatem urinæ proueniunt. Nam cum frigiditas exceſſerit, ac peruenerit uſque ad cor, quatit uehementer cordis ipſius robur, atq; calorem debiliorem efficit. Et quantũ ipſe languerit,

A frigiditate cauſæ.

Frigiditatis gradum urina præfert.

tantum

tantum laxabitur in expedienda propria actione: debiliores uero cōcoctiones fiunt. Cōcoctione uero debili, urinæ eiusmodi profluunt. Atque hæc in ijs quæ De iudicijs urinarum scripsimus, dicta sunt, quamobrem non opus est orationem producere. Quoniam uero tota ratio de causis hoc modo sufficienter habita est, etiam desinat ad ulteriora procedere, etsi multa alia inducant, ut addere tur oratio. Quamobrem ne lex aliqua breuitatis nos cogeret, subiūximus orationi priori opus aliud de causis iudiciorum, ostendentes artis contemplatiuæ partis gloriæ cupidum. Sed tamen integram præscriptionem in omnibus habuerit disputatio, si post tractatus de causis, subdiderimus eos qui de præuidentijs docent, quiq; utiles arti sunt, & uelu ti uaticinatores motionum naturæ eos reddunt, qui enixe hisce rebus operam nauant. Sed si ut fert animus, pars huius disputationis successerit, donum dei solius existimandum sit, gloriam nō criminandam pariens ijs qui illo impartiti

Librorum de præuidentijs utilitas.

fuerint, ægrotantibus uero utilitatē non paruam. Quamobrem disputatio de causis urinarum finem capiat, atque iam incipiamus tractare de præuidentijs urinarum.

Libri secūdi de causis urinarum, finis.

CAPITVM ANNOTATIO eorum quæ libro primo de præuidētijs ex urinis, continentur.

ACTVARII DE PRAEVIdentijs ex urinis, Liber primus.

PRAEFATIO.



IDETVR quibusdã, qui prõpti sunt ad criminandam præuidentiã, nõ fieri posse quenquam præscire, quę casura sunt in ijs rebus, quæ sese secundum naturam sequuntur. Siquidẽ compertum est ipsos id dicentes criminari, cum ab ignorantia rerum secundum naturam factarum eos occupante, tum ex obtrectatione optimarũ præceptionum. Quamobrem timorem etiam non paruum afferebat ijs qui recta ratione sciendi præscientiam participarent, contumacia eorum qui promptiores sunt ad carpendas præuidẽtias. Quandoquidem figuras quasdam astrorum, atq; uires disquirentes: item congressus, & in domo dominos, atque alia quæcunque in astris adesse dicuntur,

Præuidentiæ defensio

tur, atque scribuntur, horumque alteratio-
nes quasdam circa elemẽta futuras præ-
uidentes contemplatione scientiæ, uitãt
promptitudinem multorũ ad criminan
dum, putantque melius esse ut taceant.
Sunt enim qui eiusmodi studia præsti-
gijs, atque consuetudinibus dæmoniorũ
magis tribuunt: unde ignorantiam natu
ralium alterationum, quam habent, con
uincũt. Quinetiam qui somnispicijs, at- *Visiones nocturnæ.*
que quibusdam principijs similibus ijs
quæ secundum naturam sunt, præuidẽt
quæ futura sint eorum quæ ad nos spe-
ctant, ij latere student, eò quod id homi
num multitudinem lateat. Veruntamen
hoc pacto in ambiguo est res pulchras
tractu temporis tabescendo deleri. Sed
eiusmodi uiri nimirum admirarẽtur po-
tius à sapientibus, quàm taxarent, quod
rerum quæ secundũ naturã fiunt, specta
tores esse probantur. Sed de hisce ora-
tio ad alios magis spectat, quibus opus
optabile est, participare hæc ipsa. No-
bis uero medicam artem participãtibus,
atque studentibus per ipsam capere præ-

uidētias circa humana corpora, munus hoc ipſum potius, quàm illorum aliqua congruit. Quæcunque igitur præſcire fas eſt arti medicæ incūbētibus, ut perfectam præuidentiam faciant, hæc libri omnes præcedentes docent. Oportet enim præuidere ſtudentem, ut ſciat tum humores elemētares, tum naturales ſpiritus temperaturasq́ꝫ, & alterationes, & mutatiões uniuſcuiuſqꝫ, & principatus membrorū, & eorum primas rationes. Item quæ membra ſimul patiantur, & quæ cōtraria paſſione laborent, & quæcunqꝫ alia inuenta ſunt, & tradita ijs qui uolunt diſcere naturales corporis motiones. Nanque qui in hiſce prius fuerit meditatus, is & facilius iudicauerit, & promptius præuiderit ſequendo naturales motiones humorum.

Quod poſt pulſus, urinæ aptantur ad præuidendum. Cap. I.


FAcultates multæ ab ijs qui ſapientia excelluerūt, inuentæ ſunt tā ad præuidendū, quàm ad iudicandum mutationes

quæ

quæ in corporibus humanis fiunt: quarum principatũ habuisse uidetur de pulsibus disciplina. Ab ea enim in illis qui possident ipsam exactè, plures præuidentiæ suboriuntur. Nanque cum spiritus primus sensit, & alteratus est mutationibus corporis: spiritus uero potius quàm sanguinis conceptacula sint arteriæ: decens est ut præuidẽtiæ à pulsibus factæ sint firmiores. Quia uero humores post spiritus sunt secundi, hi cum alterati fuerint, exhibent in urinis signum significantes per eas puriorem ipsorum alterationem. Vrina enim humorum colorata extitit. Alteratis itaque urinis ob humorum aliquas mutationes, facultas sufficiens præuidendi facta est rationi. At uero quia (ut dictum etiam superius est) præuidentia communicat cum iudicijs, si cuiusquam eorum quæ illic enarrata sunt, hoc in loco meminerimus, ut exactior euadat disputatio, nemo quæso nos accuset garrulitatis, sicubi acciderit: ut præferatur oratio tota superfluæ. Quandoquidẽ eiusdẽ dispu-

Ita Theophilus urinam inquit esse colamẽtum sanguinis.

tationis repetitio afferre poteſt (ut arbi-
tror) tam expeditionem, quàm ſtabilita-
tem. Si quis uero diffugerit uti oratione
antea dicta, ne ſermo ſermonem com-
munem efficiat: is multa perdere pote-
rit, quæ eſſent referenda. Sed hoc poti-
us propoſitæ orationi errorem non par-
uum pariet. Illud uero quiſquam proba
uerit magis eſſe munus recordationis,
& congruitatis dicendorum, quàm ali-
cuius inopportunitatis: ueluti arbitran-
tur ij qui ad maledicendum ſunt prom-
ptiores. Nos uero quemadmodum in
alijs factitauimus, prius exponendo co
lores & ſubſtantias, deinde contenta, &
quæ ſuper hiſce ſpectantur: ita nunc aga
mus, capitum ordinem eundem melio-
rem eſſe, quàm eorum perturbationem
exiſtimantes. Sed tamen cum unoquo-
que eorum quæ dicenda ſunt, commi-
ſcetur obliquitas nihilominus ob ipſius
quàm illorum referēdam præuidentiā.
Et ita faciamus, hinc cum Deo initium
auſpicantes.

De

De præuidentia ex urinis albis. Cap. II.



Voniam demonſtratum eſt, urinas albas in complures ſpecies diuiſas eſſe, ueluti in ijs quæ de differentijs urinarum dictum eſt, opus eſſet ut de hiſce conſiderantes diuidant eas, atq; ſuper eis præuiribus præuidentiam faciāt. Vrinæ igitᷓ albæ colore, cryſtalleæ uero, & aqueæ ſpecie ſemper tenues ſi mãſerint, illa ſignificant quæ in ijs quæ de iudicijs dicta ſunt. Nũc oportet hæc ſubdere: nanque cum urinæ aureæ, aut rubeæ, aut uineæ, aut aliquo colore tinctæ præceſſerint in febre uehemente, ſi in eiuſmodi albos colores mutatæ erint urinæ, atque adhuc febris manſerit uehementior, neque aliquod dignum ſignum criſis aderit, decenter noſſe poteris futuram eſſe phreneſim, atq; eò peius, quo præmonſtrati colores fuerint peiores. Nec omnino mentitus fueris, ſi rurſus tinctis urinis pronunciaueris phreneſim ſolui. Siquidem urinæ illæ demonſtrant bilem, quæ fluorem tingit, ſublimari ad caput,

Albæ urinæ in febribus phreneſis prognoſtica.

quæ procrastinãs additionẽ afferre pote rit passioni, ac mortẽ significant. Vrinæ uero si iterum coloratæ fuerint, arguunt solui passionem membri promouentis primum sensum conuersabile erga infernas partes corporis. Vrinæ uero eius modi cum crassa substantia, cumq́ globulentis contentis, si præcesserint in debilibus febribus, multitudinem uero atque colorem album mutauerint post ægritudinis uigorẽ, præuidetur ut nondum febris soluta sit. Nanq́ natura cum præstiterit materiam, concoxeritq́, ac assumpserit quantũ utile inesse uideat, superfluum & inutile per urinas expellit, cum existimetur id non opus esse ad recipiendum. In passione quinetiã diabeta, si neq́ coloratũ urinæ corpus, neque constans & minutum sit; ostendit fluorem urinæ in matulam ad malũ procedere. Nanq́ natura antea fatigata timorem non paruum affert, ne æger uitę damnum patiatur. Nec ignorare oportet eiusmodi urinarum colores in senibus significarę modiça quędam mala.

Crassa urinæ substantia cum grumosis contentis.

Iuueni-

Iuuenibus uero & uigētibus deteriora, eò magis si contenta nulla spectentur, etsi quæ spectentur sint praua, minusq; conuenientia. Nanq; in summa crudita te & frigiditate, atq; longa quadam debilitate, atque præter hæc in immodicis oppilationibus apparere solent. Et cum urinæ redierint ad mediocritatem, parū affliguntur corpora, & quæ antea lædebantur, faciliusq; uirtus reuocatur resumens proprias uires. Quod si in eisdem speciebus māserint, inferent capitis difficiles pulsus, & obtenebrationes, & uertigines, & morbum comitialem, ciborū fastidia, & prauorum eduliorum interdum cupiditatem, & caninos appetitus: artuum dolores aderint, & neruorū motiones difficiles, renum & capitis diuersæ passiones, & podicis tristes sensus, & tabida ex ægritudine senectus. Talia præuideris, ubi tenueris differentias urinarum albarū, quæ dictæ sunt in ijs quæ de iudicijs scripta sunt, & prælegeris librum Galeni de accidentibus. Nanque memoratarum passionum aliæ sequun-

Albæ & diuturnæ urinæ atq; contentis priuatæ.

Marasmi præuidentia.

tur incoctionem continuam potius, aliȩ frigiditatē ingenitā ab aliqua causa, aliȩ oppilationem, aut humorum transposi- tionem. Veruntamen præter hæc opor tet eum qui studet uera suffragia ferre præuidendi, considerare ætates & tem- peraturas, & consuetudines, & sexus, & horas anni, & interdū uictus anteactos. Nanque hæc ipsa dimetienti, atque mente cogitanti urinam secūdum naturam, at- que eam quam in matula cernit, compa ranti facile apparuerit, quantum urina præsens ab ea quæ secundum naturā est, aberrauerit. Atque prompta præuidentia super urina præsente reddita erit, modo præconsiderata fuerit ægri partium faci litas sentiendi & patiendi. Res enim hæ maxime cōferre solēt ad prædicenda fu tura: cū nō omnes in eisdē passionibus eodem modo sentiant. Quamobrem in eiusmodi intensis albis eiusmodi quis- quam præuidentias reddere poterit, si bene iudicare didicerit. In ijs autem uri nis, quæ remisse sunt albȩ, ut lactea, glau ca & charopa, atque id genus cæteræ, has

Quæ unà cum urinæ substantia & contentis sint considerandæ.

quas

quas dicam, significationes præuiderit. Nam in initijs & incrementis febrium, eiusmodi colores urinarum sunt laboriosi, præsertim quò uehementiores sunt febres. Apparet enim in hisce multitudo materiæ putrefactæ augeri: in febriū uero declinatione apparentes significāt salutem, eò potius si multitudo urinarū excesserit. Illud enim arguit, aut multitudinem cruditatis humorum cumulari, aut tingentis humoris momentum ad alias corporis partes. Hoc uero arguit declinationem febris, præsertim cū urinæ quas præcesserunt, fuerint magis aureæ. Sequestratio uero superfluitatum confirmetur ab expultrice uirtute. Hæc igitur considerans ob ea quæ in principio apparēt, præuideris ægritudinis malignitatem, atque tempore multo ad concoquendum indigere eiusmodi cruditatem dixeris. Quia uero in eiusmodi urinis magnitudo febris nondum manifesta esse statuitur, alioqui siue maligna febris quidem existimata esset, opus est ut tangens pulsum consideret & magni

Vrinæ remissæ albedinis.

tudinem febrium, & uirtutis firmitatē. Contestantia etiā fuerint excremēta, & faciei colores, atq; alia accidētia, quæ referuntur, & apparēt. Vbi igitur ab alijs signis magnitudinē febris didiceris, cognoueris q; naturalis uirtutis firmitatē, atq; consideraueris mensurā cruditatis, oportet ut hac in parte teipsum diligentiorē ostēdas, ita ut singulis considerate & exacte mensuram statuas. Atq; si plura signa cruditatis aderint, multisq; diebus ea augeri uideantur, febrisq; magnitudo constiterit: cōtrà uero firmitas uirtutis minor, atq; debilis comprehendatur, par est ut natura hoc casu fatigata succumbat, atq; solutionē malorū mortē esse præuideas, eaq; die qua coniectaueris, uirtutē fessam deficere. Quod si illa etiā se habuerint ut dictū est, uirtutis uero firmitas præstiterit, spes est ægrotantem tractu tēporis superesse causis afflictantibus, ubi optima gubernatione rectus fuerit. Multa uero accidentia praua interueniunt. Quod si illa fuerint minora, corporis uero naturalis firmitas melior,

Cruditatis signa & febris indices aucta mortem portendūt.

melior, ſuperſtes erit homo: praua autẽ accidentia mediocriter adſunt. Ergo in febrientibus hominibus, & eiuſmodi urinas mingentibus ſitis minor erit, quàm quæ ratione febris expectatur: & urinæ maiores, & uentris ſiccitas, capitis grauitas, & dolores extranei, & uertigines, & uentris dolores. Interdum patientis huius uẽter excernit biliacea. At uero à tẽpore mutationum urinarum proſpexeris febris ſolutionem, quemadmodum à concoctionibus qualitates criſium. Veruntamen in urinis remiſſe albis, quæ à febrientibus profluunt, eiuſmodi præuidentia reddi poteſt. In hominibus autẽ ſanis ſi eiuſmodi urinæ apparuerint, mediocrem à frigiditate offenſam arguunt. Sed prædicere in hiſce quoq; oportet, quaſnam paſſiones & accidentia ob modeſtiores frigiditates aduenisse opinatus ſis. Præterea illud quoq; præſcire fas eſt. Nanque illa accidentia, quæ modo orationi ſubiunximus, non ut ex neceſſitate ſequentia eſſe dicimus, neque raro apparere, neque omnia, neque

Accidentia non omnia nec eadem cum morbo ſemper apparere.

plura, neq; minora, sed ut contingentia cum eiusmodi ægritudinibus semper apparere, aut omnia, aut plura, aut minora, & ut fert passionũ magnitudo & tolerantia, & sentiendi facilitas hominis patientis. Oportet autem prorsus ut is, qui eiusmodi res considerauerit, & sagax, et peritus & doctus sit.

De præuidentia ex urinis subspiceis atq; spiceis. Cap. III.


SVbspicea & spicea urina in febribus nõ spectantur. Et si cõtigerit ut cum hisce urinis adsint febres, hæ imbeciles ac facile solubiles ephemeræ quædam esse possunt. Sed si ardentiores febres præcesserint, urinæ que eiusmodi post apparuerint, significant febrem solui, atq; corporis habitudinem iam concedere ad frigidiorem qualitatem, quæ alteratione orta à decente diæta corrigitur atq; confirmatur. Hinc sequũtur urinæ, quæ mediocres apparent, de quibus mox par est dicere.

Ephemerarum febrium notæ.

De

De præuidentia ex urinis ſubaureis & ſubcroceis. Cap. IIII.



Rinis ſubaureis & ſubcroceis neſcio an quicquam magis ſanitatem poſſit ſignificare in iuuenibus atque adoleſcentibus corporibus. Veruntamẽ in ſenibus atq; mulieribus (quorum ob frigidam quandam intemperaturã, quæ eis natura accidit, urinæ ſunt ſubſpiceæ) atq; in ijs quorum urinæ ad albiores uergẽtes apparent ob quandam rationem (ueluti de hiſce abunde in locis alijs diximus) ſi memoratæ urinæ profluxerint, ſignificant eorum habitudinem uerſam eſſe ad qualitatem acutiorem, idq; ob aſſiduas quaſdam comeſſationes rerum acutarũ, aut ob exercitia modum excedentia. Siquidem diætæ caliditatem quandã inferentes, in cauſa fuere ut in ijs hominibus urinæ eiuſmodi generentur. Sed cũ hæc mediocria ſint, mediocres quoque offenſas pariunt, quæ facilius etiam corrigi poſſunt.

Aureæ & ſubcroceæ urinæ in iuuenibus ſanæ.

De præuidētia ex urinis aureis & cro ceis. Cap. V.



Vreæ croceæq́ urinæ ob maiores occasiones apparent in senibus & mulieribus, atq; cæteris id genus: ob minores uero spectantur in iuuenibus ætate florenti. Quamobrem cū eiusmodi urinæ apparent in ijs qui longe secedunt ab illis, qui secundum naturam & temperaturā has urinas faciunt, arguunt causas præcedentes maiores fuisse, atq; eos febre correptos esse, bili iam crocea per totū corpus diffusa. Ergo quot causas caliditatis ab opportuna coniectura indeptus fueris, prænunciaueris illas effecisse augmentum in bili, præsertim si præsciueris diætam, & omnem mingentis educationem. Contulerint etiam rationi tuæ accidentia, quæ oriuntur à bili dispersa corpori. Quandoquidem uertigines solent apparere bili affectis, & dolores capitis, ac amaror oris, ciborumq́; fastidiū atq; sitis nō parua. Quinetiā iuuenes florentis ætatis, atq; calidioris tēperaturæ

Caliditatis adscititiæ signum in senibus urina biliosior

urinas

urinas eiusmodi mingentes, dixeris decenter etiam ipsos ob similes diætas, & exercitia nimia perueniſſe ad eiusmodi migendarum urinarum conditionem. Quinetiam si minores quàm quæ dictæ sunt, fuerint occasiones earum urinarũ producentium, proferre poteris etiã imbecilliora accidentia, atque illos longiore tempore indigere ad resoluendã passionem: minore uero hos qui secundum naturam in urinis memoratos colores adiectos habẽt. Sed hic quoque de subrubeis & rubeis coloribus urinarum dicere conuenit. *Præuidentia accidentium.*

De præuidentia ex urinis subrubeis & rubeis. Cap. VI.



TAm in adolescentibus, quàm iuuenibus florentis ætatis si apparuerint eiusmodi urinæ proprietate humoris tingentis, arguunt non nimiũ auctã læsionem esse. In senibus uero, atq; ijs qui iam pridem naturalẽ caliditatẽ minuerũt, cũ apparuerint, pessimæ sunt, atq; quamplurimo tempore indigere ægrũ significant *Subrubeæ in senibus præsagia.*

ad reuertendum ad naturalem conditionem. In quo non paruus metus est, ne præafflictata uitali uirtute solutio passionis sit mos. In adolescentibus uero & iuuenibus uigentibus eiusmodi urinarũ colores si apparuerint, ostendunt sanguineum humorem exauctum esse, ueluti in ijs quæ de iudicijs urinarum prædiximus. Tu uero poteris præuidentiã certã facere hac ratione: ut si æger usus fuerit diæta, quæ generare potuerit huiusmodi humorem, aut si fuerit profusio consueta sanguinis natura uel arte euacuanti. Senibus autem raro urinæ ita tinctæ apparent, quibus naturalis uirtus etiam ualida est, atque exercitia & diæta conueniẽs. Veruntamen hisce opus est tempore longiore ad recuperandam sanitatem. Quinetiam accidens, quod nõ frequentissime eis euenit, aut mortem aut longam ægritudinẽ parit. Nanque debiles sunt maxime uirtute rectrice corporis, & expultrice, usqueadeò ut etiam nequeat familiarem humorem continere, sed potius ita languet, ut ipsum dimittat.

Sanguinis augmenti in iuuenibus præuidentia.

tat. Siquidē colores hi ratione augmenti eiuſmodi humoris ualde breues ſunt, & obſcuri in ſenibus, etſi ratione magnitudinis febris colores huiuſmodi appareant tantum, quantum febris magnitudo præſtiterit. Nanq; ratione receſſus à colore naturali, magnitudo febris comprehenditur: ratione uero caſus extranei ab ætate, malignitas febris arguitur: ratione quoq; debilitatis naturalis uirtutis periculū ſuſpectatur. Quoniam uero ab incremento bilis rubeæ interdum eiuſmodi urinæ apparēt, decenter conſideraueris hanc exauctam eſſe per ea quæ ipſam bilem gignunt. Quæ iuuenibus uigentibus maxime inſpicitur, ſed deteriora efficit accidētia, quàm quæ ab incremento ſanguinis oriuntur, atque eò deteriora, quò acrior & leuior humor hiſce extiterit. Sed modeſtior q̄ bilis crocea & aurea ſtatuitur. Illic enim ſitis perquàm modeſta eſt, atque ſomni non multum perturbati: hic uero cōtrà, atq; eò plus, quò bileus humor uergens ad ſiccitatem cum acrimonia ſuperauit

ſanguineum humorem. Quinetiam coctione & cruditate fiũt quædam criſes: tarditate uero & craſſitudine motionũ, & mutationum tempus longitudinis cauſatur. Nanque ueloci motione ægritudinis cum firmitate genuinæ uirtutis, faciles mutationes ad melius fiunt, & celeres ſolutiones ægritudinum ſequuntur; pigris uero ægritudinis motionibus etiam tempus maius extenditur. Oportet autem in omnibus uirtutis firmitatem adeſſe, ne uirtute præfatigata ad peius uergat ægritudo. Quamuis igitur poſt principij latitudinem, atque poſt augmentum, ad prauum, & bilitius colores cõcedant. Oportet tamen cauere, atque metuere ne prorſus naturalis calor ſuffocetur ab aliena hac ipſa, & corruptrice caliditate. Quod ſi contrà, colores ad id quod ſecundum naturam reuertantur, etiã cõcoctiones in urinis appareant, fas eſt nos approbare naturæ operam, atq; ægrotos confidere.

De præuidentia ex uineis urinis. Cap. VII.


Inei urinarum colores peiores esse uidentur subrubeis atque rubeis. Sanguine uero bilescēte potius oriri solēt eiusmodi colores. Nanq; cum sanguis ab aliqua causa alteratur ad mediocrem speciem bilis, tū eiusmodi colores spectantur. Quamobrem minime mirum sit, si quando bili eo pacto excedente sitis nō modica exoriatur, somni perturbati, siccitas oris, febris acumina, deliria, tussis cum dolore hepatis: quæ mutationibus colorum iudicantur si praua sint, an etiā salutaria. Per singulas uero concoctiones iudicamus celeritatem solutionis. Sed de hisce aliâs erit exactior disputatio: nunc dicamus de passeo ita uocato colore.

Vineus urinæ color.

Coctio celeritatum decretorij portendit Hippo. Epid. lib. 1.

De præuidentia ex passeis urinis. Cap. VIII.


Rinæ passeæ cū multitudine & crassitudine corruptiōeq; in hepate accumulatæ bilis spectant, à qua arquatos ma-

ximefieri nouimus. Quamobrem non aberraueris, eiusmodi urinis spectatis, si pronunciaueris auruginem aduenturã homini. Veruntamen cum nondum inflammata est materia (quoniam inflammationem præuenit materiæ excretio) paruæ quædam & immanifestæ febres suboriuntur, atq; sitis perquàm modica, quibus accidentibus pleriq; decipiũtur. Atq; cũ plenioribus sese cibis aluissent, combusserunt materiæ magnam partẽ, ac excitarunt febrem uehementissimã, item corporis iactatus, & uigilias, & sitim immensam induxerunt. Ipse uero in quodam familiari aliquando similia accidentia uidi, quæ nunc opportune referam. Erat hyems cum uisus est à me familiaris meus: qui cum magna iniuria affectus esset à quodam, surrexerat dilu culo, atque circa regiam frequentabat, quærens solutionem iniuriarum inueni re. Atq; hoc pacto agens, multos dies inedia pressus est. Et si quando eũ opor teret coactum sumere cibum, comedebat frequentius acuta, & sale macerata.

Historia.

Susti-

Sustinuit autem corpus eiusmodi ciborum oblationes sufficienter ob aëris conditionem: sed ut decebat eũ causam agere aduersus contrarios, ita secum angebatur, tanquam ueritus esset magno dano affectum iri. Quibus ex causis cœpit male dormire. Item ei corpus erat siccũ, ac parũ solebat dormire. In more quoque erat uti prauis alimentis, ita ut putaret uti eis ad nutriendum. Erat enim homo parcus, ita ut timeret ne consumeret paruam uestem, atq; pecuniolam. Hæc itaq; omnia humorem illum bileum accumulauere, atq; per urinam euacuabatur. Quia uero forte quadam euenit ut ipse urinam spectauerit exeuntem cum colore nõ naturali, atq; paruam quandã malam affectionẽ sentiebat, rem omnẽ mihi narrauit, petijtq; facti causam. Ego uero arbitratus sum eiusmodi urinã non ex tempore ab eo profluxisse; uidẽs etiã ipsum sana agere, urinam illam uero uideram in ægritudinibus pessimis apparuisse: ille dixit se in matula urinam postera ostensurum. Ego uero discessi. At

Diæta bilẽ contrahẽs.

ipſe iterum ad cõſueta tractanda redijt, etiam impranſus diurnans, ac nocte reuerſus eſt ad me, cum paucum cibũ guſtare uoluiſſet. Poſtera ſummo mane detulit mihi matulam cum urina paſſea, & qualis eſt arquatorum. Ipſe putabat etiã febre carere. Prædixi, niſi caueret, caſurus eſſet in auruginem. Ipſe prima die cauens à ſalſis manſit, pedetentim increſcente paſſione. Poſtera eum uidi, neq; quicquam mali paſſum. Non enim ſitis aliqua exiſtimanda ſuborta ei erat, neq; febris ſenſibilis, neq; aliquod ſignum apparebat ex ijs quæ in ægrotantibus uidentur. Atq; nos reliquit, dicens nihil mali nos inde ſcire. Atq; cibum craſſiorem ſumpſit, quem debiliter concoquebat; nec eatenus nox acceſſerat, cum cibus ille commotus eſt & percaluit, atq; conturbatio non parua hominem corripuit, noſq; tum intelligens recte iudicaſſe, accerſiuit, atq; ſalutem nobis credidit. Ego uero illum uerbis, ut uiſum eſt, caſtigaui, ne medicis inſtruentibus fidẽ non haberet. Atq; cũ intelligerẽ hu-

Auruginis præuidentia.

morem

morem eiuſmodi bileum non adeò inflammatum eſſe, iuſſi igitur ut caueret à cibis craſſioribus, atq; uino, uteretur'q; diæta tenuiore: monui'q; ipſum ſanũ fore ſi ordinatam diætam ſeruaret. Iam cutis corporis, atq; oculorũ alba arquata ſpectabantur, atq; ægritudine liberatus eſt. Quamobrem fieri poterat, ut ſi pertenui quidem diæta uſus fuiſſet homo, eiuſmodi bileum humorem abſq; dolore excreuiſſet eò magis ſi nequicquã ex cibis, aut aëris ad inflammationem excitauerit. Nanq; cũ eiuſmodi bilis ſit craſſa, uix quidem accenditur. Sed ubi accenſa fuerit, non facile poteſt extingui. Sed de hiſce ſatis, deinceps ad alia eundum, ac de coloribus oleaceis diſputandum. *Bilis craſſa.*

De præuidentia ex urinis uiridibus.

Cap. IX.



Iridium colorum omnis uarietas duobus generibus clauditur, altero oleaceorum, altero uiridiũ cognomine ipſi generi appellato, ueluti in iis quæ de diffe-

rentijs urinarum dictum est. Eorũ oleacei, qui ob colliquationem pinguis generantur, hecticam febrem adesse arguunt; ueluti in ijs quæ de iudicijs urinarum explicatum est. Qui uero ob malignitatem ægritudinis uirides apparent, ij non in minore prauitate quàm quæ oleaceorũ est, constituũtur. Sed confert hac in parte animaduertere. Nanque si memorati colores oleacei paulatim retrocedentes ad naturales uergãt, prædicendum tum est solutionem fieri accidentium corpus ambientium. Quod si etiam febre ualetudinem lædente peiores urinæ profluere uideãt, decet prædicere periculũ imminẽs, atq; caute cõuersari cũ ægro periclitãti. Idq; ne occasionem reprehendendi des ijs qui ad male dicendum sunt promptiores, ac si negligenter ad curandam ægritudinem ingressus esses. Nam cum labor processerit, etiam contenta peiora spectantur.

Hecticæ febris oleacea urina est nuncia.

Quemadmodũ paulò inferius dicetur, ubi disputarimus de præuidentia ex contentis. Quinetiã eò liberius feceris prænuncia-

nunciationem, quò magis intellexeris per omnes concoctiones errores naturæ. Quinetiam et ſi ratione capiãtur duo uiridiũ colorũ genera, neſcio utrũ eorũ in prauitate excellat: cumq; utrunq; alterum ſuperare contendat, neſcio utrum potius ægrotantem tollat. Quantum ergo bilis excellens humores cæteros ſuperauerit, demonſtrat urinarum coloribus. Tu uidere poteris, atq; prædicere, ubi didiceris accidentia. Nanq; inſania & aſſidua & deficiens corripit ægrotantes, uomitus item atq; excretio bilis, interdum puræ uirulentæ, atq; aduſtæ, ſitis aſſidua & æſtus, lingua aduſta, atque hypochondria ſubcontracta. Hæc atq; alia id genus ſunt accidẽtia uiridis bilis. In quo ſi uirtus robuſta fuerit, & colores remittantur, atq; mutẽtur ad bonos, ſpes eſt hominem ſupereſſe, atq; confidendum eſt. Sin uero nihil ex hiſce aderit, & urina eiuſmodi perſeuerauerit, metus non paruus eſt, ne ob ſpaſmum à ſiccitate & æſtu accidentẽ ægroto, ſomnus quidam inexperrectilis hominẽ capiat.

Quando tutius prædixeris ex urina.

Bilis uiridis uel praſſcæ accidentia.

Eo igit̃ pacto per singulas mutationes, & concoctiones, & cruditates in mediũ prænunciationes ducere oportet eũ qui exquisite rem considerat.

De præuidentia ex urinis uenetis, liuidis & nigris. Cap. X.



VEnetæ urinarũ, & liuidæ atque nigræ (quæ ultra prædictas sunt) frequentius ab humore melancholico colorantur. Nihilo tamen minus ob alias etiam causas eiusmodi urinæ spectantur, quẽadmodũ etiã in ijs, quæ de iudicijs urinarũ, dictũ est. Nunc subiungamus quodcunq; certò conferat ad præuidentiam, quod relictum est in disputatione de iudicijs. Igitur quæcunq; urinæ eiusmodi spectantur, uel albis, uel alijs similibus coloribus præcedentibus, præsertim si uel melãcholia, uel febris quartana præcesserit, atq; præter hæc lien fuerit tumefactus plenusq; humore huiusmodi, hæ ipsæ purgatæ arguũt solutionem memoratarũ passionũ. Qua pro re oportet confidẽter prænunciare. Nanq; si passiones

Præsagia à colore nigro urinæ.

hæ

hæ soleant ob humorẽ melancholicũ ex crescere, prorsus dissolui eas necesse est euacuato humore augente. Quamobrẽ paulatim procedentes ad id quod secundum naturam est, tolluntur. Quinetiam cũ urinæ uirides ac liuidæ præcesserint, decens est tanquam lassam medelam cedere. Ad extremã enim prauitatẽ tũ euectæ sunt passiones, si earum aliæ à caliditate, aliæ item æqua ratione à frigiditate generẽtur. Hæ enim qualitates cum ad summũ terminũ excreuerint, soluere cõsueuerunt compaginem corporis, uirtute naturali minus sustinente immensitatem. Ad hæc in febribus mediocribus si forte eiusmodi urinæ apparuerint diebus non criticis, fueritq́ ualida uirtus, mortem minantur. Neq; idcirco uincentur ægri, si duo bona cum uno signo prauo pugnarint. Quod si febris fuerit acuta, tum mors expectanda est, maxime si iudiciaria dies fuerit indicans. Sed de iudiciarijs diebus alijs in locis dictum est à sapiente Galeno. Licet tamen nobis hoc pacto inter disputandum de

Calidum & frigidũ extreme, lethale.

Galeni absoluta doctrina.

eis dicere, quantũ uideatur decens esse disciplinæ de urinis. Nanque nitentibus exquisitiora discere, ars tradita à Galeno conferet. Quoniàm uero de præuidentijs in coloribus urinarum contemplatis à nobis dictum est, par esse uidetur ut hac in parte oratio de eis termine tur. Posthac uero aggrediamur disputa tionem de substantijs urinarum, ueluti etiam in alijs libris instruximus. Deinde de contentis, atque cæteris quæ in hisce contemplantur.

De præuidentia è substantia fluoréue urinarum. Cap. XI.



CVm in urinis substantiæ tam multæ, quàm uariæ considerentur: quarũ plures tanquã prope medias essent, nominibus proprijs uacarunt: de quibus diligẽ tius in ijs quæ de differentijs urinarum scripta sunt, determinatum est. Nũc cõ ueniens est ut etiam super eis præuiden tiã aperiamus: quæ nihilo minus, quàm quæ dicta sunt, cõferens erit disciplinæ de uri-

de urinis. Quæcunque igitur urinarũ substantiæ mediocriter spissantur, facileque ueluti grauescendo cõcedunt ad mediocritatem; etiam modo quodam uirtutẽ cõfirmari significant hac ratione. Quantum uero secesserint uersus immodestiam, declinantes à mediocritate, tantum deiectam esse uirtutem ostendunt; atque humorum in corpore manentium substantiam tam quantitate, quàm qualitate distare ab eo quod secundum naturã est. Veruntamen immorandum est hac in parte, atque declarandæ sunt singulæ quæ spectantur urinarum substantiæ.

Tenues ergo substantiæ quam ob causam appareant, & quid sibi uelint, in libris superioribus explicatum est; nunc reliqua subiungentur. Nãque tenues substantiæ, quæ in eodem manentes diurnant, arguunt passionum quæ corpus occupant, accidentia tum manere, tum etiam fortasse increscere, tanquam nõdum erigente se natura ad occurrendũ humoribus affligentibus. Siquidem decens est, ut accidẽtia increscant passio-

Substantia urinæ tenuis.

ne quæ corripuit, instante, atq; naturali uirtute lassata passim cessante. Quando quidem in primis diebus si ualida firmitate resistere ipsa uirtus uideatur, aut parum se erigere, quantum tunc par est, reliquo tempore uictoria relicta fatigata cedit. Quamobrem colores in urinis tenuibus peiores apparebunt, atq; manifestiores erunt cruditates. Hæc tu igitur ubi consideraueris, prænunciaueris aut naturam multo tempore indigere ad sanandum, modò tum etiam uirtus firma sit, aut ipsa nequeũte tanto tempore pugnam tolerare ut uictrix euadat, ægrum subire uitæ damnum. Quod si immodicæ tenuitates remissionem fecerint, atq; accidentia diminuantur, uirtusq; tanquam refirmata procedendo concoctionem inducet. Quamobrem hæc intelligens, decet ut ægrotis salutem prænuncies. Neq; ignorare oportet colores cõmistos cum tenuibus urinis imaginatione summouere aliquantum præsentis tenuitatis, quemadmodum multus color occupat passionem. Veruntamen de-

Cruditates auctæ, aut mortẽ, aut longũ tempus ad morbi coctionẽ portendũt,

cens

cens est ut posthac de hisce disputetur, præsertim si hæc quoque conferant ad capescendam disciplinam. Quare ut par est, hinc considerandum.

Quod quanto magis urina coloratur, eò plus præsentis tenuitatis summouetur imaginatione. Cap. XII.



Antum summouent tenues substantias urinarum imaginatione cæteri colores, quantum ipsi ab albo recesserint. Quum dictum sit id tenue esse in urinis, quod est maxime pellucidum: color autem albus maxime aëreæ substantiæ particeps esse uoluit. Decenter itaque utrisque coëuntibus in corpore transluci dissimo matulę, facilius uisus per omnia transit, nihil resistente corpore translucido. Nanque uisus tum est actu uisus, cum firmatur super corpore translucidum terminante. Nanque in tenuibus, & aëreis neutiquam firmatur, cum undequaque pateant quæ tenuia sunt, & translucida. Conueniens est etiam in urinis, simili ratione habita, ut tenues

Tenue in urina.

In pellucido enim nullũ obiectũ quod uisũ termino claudat.

cum albo colore, potiusquàm cum alio colore penetret uisus. Veluti uisus magis impeditur in corpore minus pellucido, ut difficilius pertransit, quemadmodum facilius pertransit in albis: ita ut ex hisce liceat inferre, illis minus tenuia esse hæc, in quibus tempore maiore uisus per colores immoratur. Quinetiam tantum inter se colores differre summouendo tenuitatem per imaginationẽ, quantum cæteri colores recedunt ab albo.

Nigræ urinæ nõ perspicuæ.

Atque compertum iam esse uidetur id ipsum in urinis ijs, quæ cum substantia sint tenues, colore uero nigræ, difficilius spectantur in matulis. Quandoquidem hæ nigræ ferè tota perspicuitate priuatæ sunt: tum contrarietate, quã habent erga maxime albas, & perspicuas, tum participatione potiore naturæ terrestris. Atque decens esse ut quæ à perspicuitate uersus oppositas deciderint, hæ decidant mensura simili qua nigra passim secedunt ab albis.

Quod quanto magis crassescunt urinæ, eò plus coloris summoueant, qui inerat priusq; illæ crassescerent. Cap. XIII



AT uero super ijs quæ crassitudine summouẽt colores, eiusmodi ratio haberi poterit. Siquidem corpora perspicua eiusdem substantiæ quò magis ad tenuitatem accesserint, eò translucidiora efficiuntur. Nanq; quæ translucidiora sunt, hæc puriores, & proprios colores præsentant: uisusq; tam facilius transit per tenuiora, q; facilius sustinet colores, qui in ipso recepti sunt. Decens itaque est ut colores summoueantur, tum ab ingenita crassitudine, tum etiam quod uisus in superficie rerum crassarum requiescens non pertransit. Ad hæc quũ læuitas multo differat ab asperitate suscipiendo uisum, crassa uero magis similia sint asperis corporibus, decens est ut crassitudo auferat colorẽ in ijs: quemadmodum mare uento crispatum ratione asperitatis aufert colorem qui aderat. Quinetiam idem discere est in lapi-

dibus indeptis superficiē quandā. Nãq; ubi arte & cōplanati, & leuigati fuerint, eorū colores euidentiores spectant, q̃ qui adhuc rudes manent. Sed de hisce satis hactenus dictū esse arbitror. Posthac explicanda ratio est super ijs, quæ putant in urinarū crassa substantia, ubi de tenuibus sufficienter tractatum sit.

De præuidentia ex crassa urinarum substantia. Cap. XIIII.

Crassæ urinæ post tenues in febribus, bonæ.



Rassæ urinæ si in febre spectentur, ubi tenues & translucidæ præfuerant, procedēte ægritudine, demonstrandū prædicendumq; est, ut statim declinatio futura sit. Nanq; hoc casu uidetur natura superasse materiam, atq; tum incipere illam cōcoquere, ita ut excretiones uentris fieri poterint coacta, & cōcocta materia: eoq; melius & tutius, quò citius uel plus crassitudinis inerit, uel uniuersæ materiæ excretio fiat. Conuenit itaq; ut posthac paulatim ablata crassitudine tanquam concocta, & minuta materia quæ affligebat, accidentia dissoluantur,

natura-

naturalibus excretionibus exauctis, atque urinæ ad proprium colorem reuertantur. Quod si unà cum accessu febris urinæ crassæ spectentur, quæ neq; processu temporis desinant crassescere, neque si desiuerint, attenuant̃, sed semper aut crassitudini addant, aut si nō addiderint, non etiam tenuentur, neq; ad meliores colores mutentur: discere licet tum adesse uirtutis infirmitatem, atq; coniectare multitudinem non paruam humorum, ita ut metus non paruus sit, ne defatigata iam natura in om̃ibus eius prorsus actionibus cesset. Quo quid esse potest peius corpori stabilito ab illius actione? Veluti nō iam pridē in adolescente uidimus. Is enim corporis firmitate, & magnitudine pręstabat: sed plurimis atque uarijs utebat̃ escis, adeò ut edacibus hominibus immodestior esset. Quinetiã adolescens interdũ corripiebat̃ à febre cōtinua, atq; incidēdo in uentris fluxus liberabat̃. Sed tandē captus à febre accē sa à magna putredine, me uocauit, mihiq; curam eius credidit. Erat dies tertia

Virtutis imbecillitas

qua ad eũ accersitus sum, ueni, & æger non mediocriter se habebat. Tetigi pulsum, nouiq́ non paruã febrem à putredine humorum genitam esse. Deinde matulam uidi multam crassitudinẽ continentem, usq́ adeò ut maiorem non potuisset habere, cuius color erat uarius extraneusq́. Non enim uidebatur albus, neque rubeus, neq́ niger, neq́ aureus: atq́ omnibus his coloribus ita apparentibus, nihil tamen exactè sequestratum, & definitum proprio loco erat: neq́ ualde mista, sed mediocri mistura erant.

Vrinæ color mixtus & extraneus.

Hanc itaque extraneam speciem intuitus, uehementer admiratus sum, atq́ uisus sum intelligere magnam humorum corruptionem, nisi uerius quidam intuitus eam urinam ab homine obortam dixisset esse humorum resolutionẽ quandam in elemẽta. Quinetiam præter hæc aderant excretiones uentris immodicæ grauiterq́ olentes humorum corruptorum, qui iam cœperant momentũ fluendi per infernas partes, atq́ quædam dissolutio totius corporis eius aderat ob

uehe-

uehementiam febris, & magnitudinem euacuationis uirtute deiecta. Nanque bilis pura, & ueluti aquea profluebat multa, & assidua surrectione excedens mediocritatem. Ea itaque die hoc pacto male se habuit. Postea uero etiam urinæ excretionem continuit; tum quia totus impetus materiæ in uentrem concesserat, tum quia febris uehementia exiccatus fuerat lacertus circa uesicæ collum, qui continet ne urina intempestiue efflueret. At uero usqueadeò remissa est uirtus eius concoctrix à magno momento materiæ fluētis deorsum, ut iam mortificata uideretur. Quinetiam è naribus aliqua frusta sanguinis mortificati effluxere, atque per fauces expulsa sunt. Quod ubi medicus quidam ex ijs qui frequentabant, uidit, uenam incidit, arbitratus nihil sanguinis expelli debere ob multitudinem, quem expelli cōueniret. Quoniā uero quarta dies iam erat ab ea qua urinam continuit; uesica uero extumuit à multa collecta urina, nec uiam ad exitum habente, & dies iam sexta erat, atque

Sanguinis grumi per nares & fauces reiecti.

ſpaſmus immodicus corripuit ægrotũ: atq; eo modo facilius proſtrata reliqua uirtute ſuccubuit æger accidentibus. Et hoc iam relatum nobis eſt, quod nõ ualde decere uidebatur, craſſitudine urinarum orationem attrahente. Quoniam autem decens eſt ut aliqui noſſe cupiant hanc alteram hiſtoriam, eam ſubiunxeris prædictis ob urinas ſimiles enarrandam. Nanque ubi ea non à propoſito diſcrepet, ſi nõ etiam referretur, poſſet ſtudijs hiſce incumbentem mediocri afficere triſtitia. Venit igitur quidam à pagis ad nos matulam ferẽs, urinam ſanequàm craſſam, atq; uariam continentẽ, ac propè qualis ea quæ iuuenis pauloante dicti fuerat. Solum enim ab illa diſcrepabat, quod non uidebatur aurea, & (ſi liceat exemplo rationem oſtendere) nebulis ſimilis erat, quæ non uſq; quaque auerſæ ſunt ſoli, neq; illuſtratæ, craſſæq; ſuapte natura manẽtes uerſicolores ſpectantur. Is ergo qui matulam habebat, aquam intercutem patiebatur, atq; extumidus erat, retulitq; iampridem ſe grauiter

Altera hiſtoria.

uiter

uiter ægrotasse, atque ægritudine solutũ incidisse in eam passionem. Mihi uisum est, hominẽ (cũ debilis esset concoctrix uirtus) uictu abusum esse: ita ut eam ob rem inciderit in eam ægritudinem, multitudine crudorum humorum in corpore aggerata. Atque tum abijt edoctus quo uictus modo uti deberet. Neque deinde audiui quid actum sit ab eo, non iterum rediente ad me. Quinetiam tu qui his rebus incumbis, intelligẽs uehementer crassas urinas adeò prauas esse, etiã hasce (ut par est) prænunciationes super eis facito, spectans naturalem uirtutem, atque mutationes substantiarum & colorum urinæ. Et si fuerint tenuatæ, & meliores colores suscipientes, expectandã esse affligentium remissionem, ac declarandum illa abitura. Sin uero ad contraria concesserint, dicendum mala successura esse, atque auertendum esse ab ægro; ea enim tum arguunt magnã uirtutis debilitatẽ, tũ magnã repletionẽ malorũ humorũ. Sed de substãtijs urinarũ oratio hic terminetur, ubi de eis sufficienter

Quomodo præsagiendum in crassis urinis.

dictum sit. Si prudenti uiro regulæ habentes solis uerbis ueritatem porrigant momenta ad ægritudinum præuidentiã: posthac uero decens esse uidetur ut de contentis dicamus, sic præstituto ordine orationis postulante.

De præuidentia ex contẽtis dissimilaribus. Ca. XV



T contenta quæ sunt alba, lenia, atq; æquabilia per omne tempus apparentia, tutã conditionem, atque sanitatem significent, tum Hippocrates primus docuit, tum experientia ultra rationẽ edocuit. Quantumq; hæc minuantur, tantũ ab hisce sanitas exacta recessisse censetur, hoc est ratione casus contentorũ ab eo quod secundum naturam est. Quinetiam cætera secundum naturam & ornatum habentibus contentis, proprium uero locum non habentibus, quantum à fundo matulæ distulerint uersus sursum concedentia, eò maiorem spiritum leue facientẽ ipsorũ substantiã ostendunt: arguũtq; illa loca corporis male sana esse ad

Hippocra. præsagiorum lib. 2.

ad quæ contenta contigit concedere, habita ratione humani corporis locorum, & matulæ. Atque in eodem loco diurnantia maius nocumentum cum debilitate uirtutis ſignificant: quæ ſi in eo loco pauco tempore manſerint, modicum momentum oſtendunt. Tale autem ipſe quoq; memini me uidiſſe in quadã muliere, quæ à quodã Syro pharmacũ purgatorium datum bibit. Quoniã illud fuit acutius, intra paucum tempus purgauit quæ oportebat, ſed acumine ſuo procedens etiam inteſtina tetigit. Ergo ſanguinolenta excrementa ferebantur, ac dolores & in ſuperiore uentre, & inteſtinis ſequebantur. Id ubi uidit medicus, atque alij qui ægrotanti præſto erant, ſtiterunt & continuerunt illa ſanguinolenta excrementa, conſtringentibus uehementer medicaminibus utentes. Mulier uero ita affecta tũc uiſa eſt ſana eſſe. Sed tamẽ paucos poſt dies circa hypochondria ſenſit pondus atque dolorem. Atq; præter hæc, faſtidiũ ubi mediocre, ac ſitis aderant, urina tũ quando turbulenta

Sanguinolenta excremẽta à purgatorio pharmaco.

& crassa erat, tum quando externo ignẽ tenuabatur, habebat contenta medium locũ humoris ipsius occupantia. Interdum non etiam erat urina crassa & turbida, atq; nihilominus contenta in eius medio loco spectabãtur. Ego igitur hæc uidens, considerabã à pharmaco iam pridem ei dato nõ mediocrem materiã attractã fuisse à profundioribus partibus corporis, atq; illic conceptã esse ob abusum medicaminum stypticantium, atq; cibos assumptos, cũ eiusmodi stypticorum generibus induxisse oppilationem arbitratus sum: atq; dicens eam oportere uti lauationibus, atq; balneis, uidebã me recte cõsiderasse, & faciebã ut ægrota liberaretur quodã modo à suis doloribus. Veruntamen cũ hæc ipsa remedia non possent usq;quaque illã sanare, idcirco subdidi, opus esse ut maiore purgatione, quàm quæ ex balneis est, uteretur. Neutiquàm persuasi: non enim parũ metuebat ab eis quæ pridem acciderãt, uidebamq; ipsam nihil dicere, quod parum experta esset mediocres purgationes.

Oppilationis remedium.

nes. Necp mihi ea præponenti aſſentire uoluit, à memorato timore diſtẽta. Vbi uero pauco poſt tẽpore lapſa eſſet in peiora, accerſiuit uirũ quendã inter doctos artis medicæ celebrẽ: isq; ab eiſdẽ principijs profectus, arbitratus eſt ægrotantem incidiſſe in paſſionẽ hypochondriacam, id eſt infracoſtalẽ. Quæ paſſio non etiã erat, ut mihi uiſum eſt. Conueniens autẽ erat ut conquateretur: ſed ille paulo poſt purgatiuũ medicamẽ bibere perſuaſit, dixitq; non alio modo illã liberari poſſe à paſſionibus eã occupantibus, niſi crediderit documento eorũ qui recte iudicare ægritudines ſciunt. Quia uero paruũ momẽtũ interdũ maxima poteſt: nã nos quoq; forte affuimus laudãtes uiri illius ſentẽtiã: perſuaſa eſt ægrotãs, atque pharmacum mediocriter purgans ebibit, ſtatimq; liberata fuit. Hoc pacto contentorum conuerſatio facta à fundo matulæ ad alia loca, oſtendit proportione quadam partes male ſanas corporis. Nanque ſuperfluitates ſani corporis natura deorſum feruntur ut expellantur, ſi

Hypochondriaca affectio.

forte ad loca contraria expellantur, illic aggerari consueuere, atq; tractu temporis patientem affligere. Quinetiam quę sublimantur adusq; medium urinæ humorem, potius materiam tetigisse hypochondria, & uiscera, atq; etiam pectus arguunt. At uero quæ ut nubes innatãt, demonstrant materiam passionem esse in capite. Præter hæc addam alteram historiam, ut magis quæ dicta sunt, clare spectentur. Quidam familiaris meus iacebat febriens, ac urinarum contenta prorsus sublimata primo spectabantur, ac deinde nubila erant. Aeger uero cœpit delirare, atq; absq; sensu iacens naturales necessitates impleuit. Vndecima die contenta in superficie urinæ innatauerunt alba, & subtenacia, atq; qualia dicta sunt in libro de differentijs urinarũ, qua contraria sunt asperis: uidebantur enim crassiora eis quæ secundum naturam sunt, atq; ueluti diceres spermatica. Die sequenti hanc, atq; altera (ut arbitror) nihil contentorum in urinis uisum est, Paulò post remissa est hominis insania,

Historia.

nia, omniaq́; cœperunt melius habere, quæ iam sepulta erant: nec exacte ad pristinam ualetudinem reuersus erat, quũ parotides utrinque subortæ sunt. Quæ ubi maturatæ, & apertæ fuerunt, curatę sunt. Videbantur igitur illa contēta semper subnubilantia, significare inclinationem materiæ ad illa loca. Hæc ergo decet uos qui hisce rebus studetis, discere, atq; proferre uultis decētia. Atq; hæc cō tenta alba, & immista corpori diuersi generis solo loco differentia, eiusmodi partes languescere significare solēt. Quod si aliqua diuersi generis corpora cum eis immista fuerint, significant à colore humorē. Si uero eiusmodi contenta omnino fuerint diuisa, atq; occupauerint urinæ humoris latitudinem, etiam proportione in ægro passionum sensus excitantur ad eiusmodi partes, expulsa materia à spiritu. De quibus rebus dictum est in ijs, quæ de iudicijs urinarum. Prauo colore quinetiam contenta eò peiores affectus corporis enunciant, quò magis cō cesserint ad fundum matulæ: ueluti con

Parotides sunt iuxta aures prorumpentia hulcera.

Contenta diuulsa.

cedunt eò cōtenta ſecundum naturam. Contenta enim nigra ſi fuerint ſublimata in medio, deinde deſcenderint ad fundum, arguunt ægritudinem perueniſſe ad ſupremam prauitatem. Eadem quò magis ſubnubilantur, eò potius ægrum ſupereſſe poſſe oſtendunt cōfirmata naturali uirtute. Siquidem illa demonſtrāt naturam ueluti uictam cedere, hęc uero quodam modo repugnando propellere. Quod contentorum accidens modo contrario ſe habet contentis ſecundum naturam: contenta uero bilea, & ſubſanguinea, & rubea rationem mediam tenent inter ſana & ea quæ maxime pauca ſunt, atq; mediocritatem obtinuerūt in producenda criſi, hæc enim indigent longiore tempore ad concoquendum. Quamobrem oportet ut conſideretur uirtus ægri, atq; ad eam ratione habita proferatur præuidentia. Sed de contentis cumulatis, & plus matulæ poſſidentibus, atque craſſitudine differentibus à mediocritate, hoc pacto licet diligēter diſcere. In initijs atq; augmentis ægritudinū

Nigra contenta primū ſuſpenſa.

tudinũ apparẽtia, præsertim si febris fuerit nõ cõtẽnenda, arguũt humorũ copiã quæ indiget ad cõcoquẽdũ firmitate uirtutis, & tẽpore, & fortuna bona, ut arbitror. Quãobrẽ cõiecturã feceris ab hisce angustias meatuũ esse circa pectus, ueluti à multitudine humorũ septũ trãsuersum arctaret. In uigore uero summo febris atq; declinatiõe, cõtẽta illa salutaria & bona sũt, cũ febris momẽtũ fecerit in ea. Disputatio aũt de hypostasi orobea, & furfurea, & laminea et similacea superius, atq; quantũ expediebat in ijs quæ de iudicijs urinarũ, tractata est. Hac uero in parte illud est subdendum de ipsis. Nanq; si eiusmodi contenta plura fluxerint, atque in peiora processerint, fas est pronunciare mala esse, atq; naturã lassatam deficere, quod illa corporis habitũ & compagem corrumpant. Contrà uero si pauca apparuerint, atq; ad minus mala assidue uergant, pronunciandũ salutẽ ægri aduentare, atq; sperandũ esse. Habes iã (ut arbitror) disputationẽ sup cõtentis satis explicatã ijs, q breuitatẽ

Contenta furfurea plura dissolutionem portendere

orationis amant, ijsq; qui quamplurima mediocri oratione discere cupiunt. Posthac ad reliqua transeamus. Quum igitur notum sit, ratio quæ super bullis est, quantum conferat ad iudicandas urinas, ueluti de hisce illic diximus: nunc quoq; subiungamus quantum satis esse uideatur ad præuidendum.

De præuidentia ex bullis. Cap. XVI.


Vllæ apparere in urinis sanorum innatantes existimantur ob frigidos spiritus, præsertim si maiores, & diffusæ absque ordine inspiciantur. In ijs uero qui febre laborant, quæ nondum antea uisę erant, solutionē propè febris significāt. Nanq; ubi apparuerint, satis sunt ut persuadeant febris præterijsse uigorem, atque declinare: sūtq; ueluti obscura quædam signa concoctionis, atq; tum existimantur nuncia contentorum concoctorum. Interdum pro bullis non apparentibus sufficiunt crassæ spumulæ, ueluti in uino apparere solent innatantes. At uero si bullæ unà cū febre apparuerint,

Bullæ spiritus notæ.

atq;

atq; processerint, dolores non modicos capitis arguunt. Sed etiam periculosos, maxime si cum tenui substantia urinæ ueluti corona innatauerint: cum crassa substantia uero tanquam cum modestiore, bullæ quoq; modestiores apparent, & significant. Quod uero illic dictũ est signum esse fluxionis in pulmonẽ, quũ in præcedente capitis dolore uisum sit, hoc pacto se habet. Nam postquã æstas accesserit, tunc enim potius quàm aliâs accidere solet ut homo efficiatur calidior, sitis eum capit, atq; plura quàm par est, pocula ebibuntur. Tunc inquam caput desiccatum attraxit humiditatẽ multam, atque repletum est ea, pauloq; post dolorem illum, atq; pondus mediocre passum est. Attracta humiditate plusquã deceat, ut dictũ est, eò quod capitis substantia effecta est calida, nequit tantam humiditatem concoquere caput ipsum non dominans humiditati, à qua dolores generantur. Veruntamen ubi caput grauatum est, tum humiditatis pars assumitur, pars soluit, eaq; delata deorsum,

Destillationis causæ.

& ſubtilitate ſua defluens in pulmonē excitauit tuſſim, atq; paruum quoddam in uentrem ſuffluens, tantundem cōturbauit. Atque in ſanis & ægris eiuſmodi apparentes urinæ, ſimilia ſignificare poſſunt. Veruntamen in ægris, uel multæ potionis alicuius oblatio, uel ſiccitas orta à dolore, atq; aliæ cæteræ cauſæ differentes ſunt munere hoc ipſo faciendæ præuidentiæ. Bullæ quinetiam quæ dolorem capitis ſignificabant, ſi breui diſſoluantur, ſignificant dolores quoq; diminui. Quæ uero uſquequaque ſunt & maiores, atq; abſque ordine diffuſæ per matulam, arguunt dolores qui præceſſerunt, diſſolui. Quia uero bullarum ſignificantium dolorem capitis aliæ ſunt per totam coronam, quæ etiam ſignificant totius capitis dolorem, aliæ per dimidiam coronam, quæ medietatis capitis dolorem arguunt, atq; reliquæ proportione, reliquū idipſum diſcendū eſt ex hiſce quæ dicta ſunt.

Bullæ fragiles mox morbū ſolutum iri portendunt.

De

De præuidentia ex coloribus diuersis ipsius coronæ, & male olente urina, & colliquaminibus. Cap. XVII



Vper coloribus diuersis, qui in corona spectantur, hoc pacto opinari oportet. Nanque colores coronæ, si peiores fuerint, quàm qui sunt substantiæ cæteræ urinæ, referre oportet malos esse, atque eò magis quò peiores apparuerint. Quod si meliores fuerint, fas est proferre illos esse in principio dominij naturæ. Illinc enim ueluti à principio natura inciperet uel superare, uel superari, licet per iudicia è coloribus coronæ habita ut decet, scire salutem & mortem. Veruntamen ipsæ coronæ, cum non multum concolores sunt reliquo urinæ fluori, neque apparent, tum à colore totius est ratiocinandum. Quando uero colore differũt coronæ, tũ sunt manifestæ ijs qui mẽtẽ habent. Inde uero coniecturandæ sunt motiões corporis. Atque de coloribus coronæ dictũ est superius etiã in ijs, quæ de iudicijs. Quamobrẽ etiã id quod nunc

Ex colore coronæ præsagia interitus aut sanitatis.

dictum est, si additum sit illi, fortasse satis esse uidebitur ijs, qui ex breuibus ratiocinando capiunt plura. At uero nunc recordati si quid prætermissum fuerit, clauserimus hac in parte librum primũ de præuidentia. Igitur urina male olens cum prauis substantia & contentis profluens, arguit omnem corporis habitudinem mortificatam esse, ita ut opinandum sit mortem uicinam esse. Alio modo si se urina habuerit, pronunciandum conferre, maxime si pus subsiderit. Ille enim malus odor significat plagam alicuius internæ partis corporis. Et si procedente tempore minor fuerit odor & pus, fortasse naturam præstare coniectare poteris. Si uero contraria fuerint, pronunciandum mortem futuram. Quinetiam si colliquamina continua innatantia, & ueluti aranea apparuerint, malum est, atque proferendum est uel renes læsos esse, uel corpus non ali colliquatione præsente. Atque hæc in parte hac finiantur. Quoniam uero decentem mensurã fecimus huic libro, hoc in loco disputationem

Vrina fœtida.

Continui solutionis signum.

tionem terminamus, ubi percurrimus quæ & in coloribus & substātijs & contentis, & quæ in hisce spectantur, & in coronis & bullis & odoribus atq; colliquaminibus innatantibus ad præuidentiam conferre solent. Quæcunque uero reliqua sunt, liber sequens continebit. Nanq; forte in illo omne munus disciplinæ huius terminarimus. Illic etiam referenda sunt & quæ decentia, & quæ relicta sunt: quamuis accidat nos (cum homines sumus) etiam aberrare, etsi in alijs multas sciendi occasiones inuenerimus. Ignoscat nobis prudentior, minime spectando in quod summum est in arte, sed potius addat quodcunq; contemplatus præter hæc adinuenerit in ægris & sanis hominibus utile facultati.

Libri primi de præuidentijs ex urinis, finis.

eorum quæ libro secundo continentur.

ACTVARII DE PRAEVIdentijs ex urinis, Liber Secundus.

PRAEFATIO.



Exercitationẽ, studiũq; præuidentiæ olim ab Hippocrate uiro sapientissimo adeò summa cura amplexũ esse compertum est, ut etiam magnum opus de præuidentia scriptum reliquerit. Atq; post Hippocratem tractata sit ars à Galeno Pergameno usq; adeò ut si quisquã alius secutus eos fuerit (etsi aliquid ipsi etiam prætermiserint) is magnam super hac re prouidentiam nancisci poterit. Nanq; absq; ratione si quisquam curam aliquam fecerit, id fortunæ potius, quàm artis opus esse probatur. Sed si quis ratione ægritudinibus curandis operam dederit, prædixeritq; tam præsentia quàm quæ antea euenerant, atq; ea etiã quæ uentura sunt, censebitur id esse artis munus omni uenera-

Hippocrates.

Galenus.

tione colẽdum. Quinetiã nõ paruã persuadendi gratiã atq; authoritatem exercentibus affert ipſa præuidendi facultas. Aegroti enim audientes ea dici ab hiſce quæ patiuntur, anteaquàm ipſi reuelauerint, promptiſſime ſalutem eorum hiſce medicis credunt. Atq; medici eiuſmodi cum tuto fundamento, atq; percurrente ratione & dicunt & tractant ea quæ oportet. Quinetiam fama bona per ora multorum uagatur præuidentiæ erga ægrotos, quæ ijs qui exercuerũt ſe, præbet ut digni fide habeantur. Cum igitur multa ſint è quibus quiſquam exercendo parat præuidentiam, nihilo minus q̃ alia extitit præuidentia ex urinis. Non enim in hac qui ſe exercuit, ut arbitror, etiam tantillo aberrauerit à præuidentia quæ agenda ſit ſuper omnibus paſſionibus humano corpori accidentibus. Igitur ubi in libro ſuperiore pertractauimus omnia quæ uidebantur conſentanea eſſe ſuper coloribus & ſubſtantijs et contentis, atq; alijs quibuſdã, nũc promptè reliqua diſputando ſubiunxerimus.

Quo-

Quoniã uero urinæ hypostasi priuatæ plurimũ cõferre possunt ad præuidentiã faciendã, de eis primũ dixerimus, deinde de cæteris transegerimus: ueluti sunt ea quæ in differentijs febriũ dici solent, atq; in mẽbris internis affectis. Atq; præter hæc etiã quæcũq; diebus iudiciarijs, & nõ iudiciarijs urinæ possint ostẽdere.

De præuidentia ex urinis hypostasi priuatis. Cap. I.



ETsi inter urinas illæ quæ hypostasi carẽt, sint malæ, ut par est, non paruã tamẽ differentiam sortitæ sunt. Siquidẽ in acutis febribus circa initia & augmenta si non apparuerint cõtenta, significatur non parua uirtutis debilitas. Nanq; ad tantam imbecillitatem ipsa peruenit, ut ob uehementiam causarum affligentiũ, necessariarum actionũ oblita sit. In quo quid aliud quisquã dicere poterit, quàm ægritudinem non peruenturam adusq; summũ uigorẽ, defatigata natura? Atq; hisce in febribus multæ uigiliæ fiunt, immodicæ tumultuationes, seminsaniæ, an

Vrinarum hypostasi priuatarũ differẽtiæ.

xietudines, atque hisce peiora, ægritudine minante mortem. Quod si febres mediocres fuerint, atque in initijs, & augmentis eiusmodi urinæ apparuerint, euenit ut similia accidentia spectentur, sed eò modestiora, quò & uirtus sit firmior, & febres sedatiores extiterint. Siquidē par est ut aliquando uirtus se reuocet, ubi non adeò expugnata fuerit à causis ægritudinem inferentibus, atque concoctionibus indulgeat, atque contenta præsentet, quæ alicuius concoctionis signa sunt.

Virtutis restauratio.

Accidit quinimò interdū cum urinæ tenues, ac hypostasi priuatæ sint, febrisque fuerit sedatior, si aliæ quædam concausæ aderint, ut apostema generetur in aliqua parte corporis, in qua se febris cumulate collegerit. Concausæ uero esse possunt hyberna aëris qualitas, iniudicabilis conditio, & motio erratica ægritudinis, atque ægri uirtus mediocriter debilis. In initijs itaque & augmentis ægritudinum si urinæ hypostasi priuatæ apparuerint, hæc ipsa prędicere poteris. In declinatione uero ægritudinis si eiusmodi

Contestantia super hypostasis defectu.

urinæ

urinæ ſpectatæ fuerint, non multum accuſare eas oportet. Nanq; id quod ſummo ſtudio conabatur, factum eſt, naturã ſupereſſe debilitati. In uigore uero & declinatione ægritudinis ſi illæ urinę apparuerint, uideri poterit id non eſſe extraneũ ſi natura ueluti iam ſuperaſſet, prius reuocat ſe, deinde agit quæ ſua ſunt, nutritiones parans corpori, oſtendensq; in urinis contenta. Siquidem eo tempore quo ſe colligit atq; refocillat, parua quædam attrahit, ne deficiens ualeat munera prædicta præſtare. Atq; ubi collecta fuerit, attrahit maiorem materiam nutri turam, atq; tum manifeſta contenta exponit. Res, ut arbitror, ſimilis illi eſt quę ijs uiris accidit, qui cũ feris magnis certauerunt. Hi nempe ut uincerent, magnos labores ſubiuere. Vbi uero uicerint, primũ cunctis poſthabitis reuocãt eorum uires, quæ præſtitere, ac deinde expediunt eorum munera. Quinetiã interdũ (ueluti pauloante dictũ eſt) bullæ ubi apparuerint, ſatis ſunt pro contentis quæ nondũ prius apparuerunt. Atq; ob

In sanis urinæ hypostasi carentis præsagium.

cruditates, & oppilationes accidere solet, ut urinæ sine hypostasi profluant in corporibus sanis. Veruntamen si paruo tempore hæ inspiciantur, poterit resistere homo sanus. Sed si malum id protraxerit tempus, perquàm facile ab ægritudine corripi potest. Tu uero prompte præuidere poteris, ubi sciuisti quænam ægritudines in quibus affectiõibus maxime prouenire soleant, nihilo minus contemplatis & ætate, & diæta, & aëris qualitate, atq; cæteris quæ in urinis insunt (quemadmodũ superius diximus) qua ad præuidentiam earum ægritudinum intendantur. Sed ratio quæ super urinis hypostasi carentibus, quàm fieri possit breuis, eiusmodi reddi potest. Posthac decens est ut de præuidentijs, quæ à prænotis urinis in diuersis febriũ generibus proficiscuntur, dicamus.

De præuidentia ex urinis febriũ deficientium. Cap. II.



Ebrium deficientium, tertianæ inquam, quartanæ, & amphemerinæ, quę ab oppilatione, & crudita-

cruditate, atque etiam multitudine humorum ipsas accendentium generantur, in initijs frequentissime urinæ absque hypostasi proueniunt; quemadmodũ etiam superius determinatum à nobis est. Ab hisce itaque sumpta coniectura præuidere poteris longitudinis tempus. Siquidem ubi nondum genuina caliditas cõcoxit aliquam materiam, & paroxysmi, & febres in ijs fiunt, tanquam expugnata adhuc esset natura & à concoctione humorum affligentium, & ab excretione eorũ. Ergo par est ut quo tenus tempore urinæ imparticipes concoctionis fuerint, eo tenus paroxysmi corripiendo maneant, atque ægrum affligant. Sed ubi concoctionis etiam paruum signũ dignoscatur, spes est hominem superesse ægritudini, atque uirtutem usquequaque superaturam ægritudinarias causas. Nanque etsi in singulis paroxysmis uirtus paruum quoddam alteret, & concoquat quod non est aptum ut sentiatur, non iccirco existimanda est præstitisse passioni, cuius multa materia, & cruda,

In febribus ex urina hypostasi priuata ratiocinium.

& inhærens esse probatur. Vbi uero eò uirtus peruenerit ut præstet affligenti humori, tum contenta, quæ concoctionis sunt signa, in urinis manifesta spectã tur, atq; testantur naturam concoxisse, atq; expulisse omnẽ superfluitatẽ, quã non hactenus expellere quiuerat. Veruntamen inter febres deficientes illo excelluit tertiana febris. Nanq; nubes sola in urinis huius inspecta satis fuit ad significandam solutionem ægritudinis. Humoris em̃ tenuis, ac facile disperditi lis faciles sunt cõcoctiones, & exoppila tiones. Et ubi facilius natura incumbit, inibi accidentia facillime dissoluuntur. Quamobrem oportet te prudentem ob hæc ipsa, à diebus cruditatis coniectare tarditatem remissionis, atq; ab initio cõ coctionis præuidere celeritatem crisis, & iudicij. Sed de eiusmodi diebus etsi disputatũ sit à Galeno in ijs quæ de crisi tractauit, fortasse tamen etiam nobis hac in parte licuerit dicere mediocriter de eis, quantũ uideaĩ cõuenire disciplinæ de urinis. Posthac igitur ubi primo detera

Nubes in tertiana.

Galenus de crisi.

determinarimus de urinis, quæ apparẽt in febribus cõtinuis, quantũ ratione no stra existimat̃ sufficere ad faciendã præuidentiam, deinde de reliquis dicemus.

De præuidentia ex urinis continuarũ febrium. Cap. III.



Ebres continuæ ab humorum putrefactione genitæ, quæ qualesq́; sint uel simplices, uel complicatæ significant ab inductis coloribus. Quantitatẽ uero putrefactionis, atq; qualitatem humorum arguunt tum substantiæ urinarum, tum contenta, de quibus diligentius disputatum est. Nũc illa subdenda sunt quæ uideantur sufficere ad præuidentiam faciendam, ita ut hinc inchoandum sit. Facilius igitur concoctis urinis, atq; paruo tẽpore redire ad id quod secundũ naturam est, coactis, existimamus celerem motionem esse, atq; confirmatam uirtutem. Sin uero urinæ non citius, sed tẽpore potius longo cõcoquantur, si malæ fuerint, & distantes à mediocritate, ostendunt celerẽ motionẽ ægri-

Color urinæ & substantia.

Virtutis præuidētia

tudinis, ſed uirtutis infirmitatem nō paruam. Quamobrem hoc caſu ſuboritur metus magnus, ne priuſquam hæ perueniant ad concoctionem, uirtus defatigetur. Quod ſi mediocriter malæ ſint urinæ, tempore uero tendant ad mediocritatem, arguunt intelligi debere uirtutē non firmam eſſe, atq; oſtendunt ægritudinis motionē pedetentim fieri. Sin uero urinæ celerrime alterentur, nec multum diſtiterint à mediocritate, ſignificant uirtutis firmitatem, nō etiam ægritudinis malitiam. Sed tamen oratio ſuper ægritudinis qualitate, & affectione hinc uideri poterit. Nam oportet urinarum mutationes diligenter obſeruare, atq; intelligere à quibus ad quas tranſmutentur, atq; an in urinis ignauia, & malitia ægritudinis appareat. Nanq; ſi contrà ſe habuerint, illa ſubdola & praua eſſe ſignificatur. Quinetiam præter hæc par eſt conſiderare tempus mutationum: atq; ex hiſce coniectare poteris futuras criſes, ſiue tardiores, ſiue celeriores extiterint; de quibus paulo inferius di-

Vrinarum mutatio obſeruanda.

us disputabitur. Nunc uero tanquã alio initio incepto dicamus de accidentibus unicuiq; principaliũ membrorũ. Quando igitur uel aliqua non contemnenda intemperatura corripuerit aliquod è mẽbris principalibus, aut humor defluxerit ad aliquod eorum non mediocriter affligens, ob hoc ipsum alterantur urinæ, ac eò magis, quò maiores uenas & arterias participauit membrũ quod passum est: quoniam eiusmodi uenea uasa facilius senserunt alterationem in corde factam. Non enim in aliquo ex mẽbris male affectis alteratio manet immutabilis: sed cum ad aliqua membra peruenerit alteratio, ipsa etiam mutatur ab ea quæ est calidior, uel frigidior. Deinde tractu temporis eo pacto cæteris membris affectis euidentiores tam pulsus, quàm urinæ apparent, suntq; imagines illius affectiõis quæ intrinsecus est. Sed oratio de pulsibus pulcherrime, & subtilissime à Galeno uiro sapientissimo tractata est, unde uolentibus discere licet. Nunc uero nos subiungamus quæcun-

Affectus mẽbri principis urinas mutat.

Galenus.

que utilia disciplinæ fore putamus.

De præuidentia ex urinis profluentibus in unaquaq; cordis affectione. Cap. IIII.



Vm demõstratum sit cor esse ob caliditatem intemperatum, tum urinæ alterantur, atque acutiores & tenuiores redduntur. Atque cum iam igne cor inspersum sit, tum mediocres in initio spectantur colliquationes. Passione uero procedente etiam urinæ apparẽt oleapparentes, & oleicoloræ, atque oleacæ. Quod si eiusmodi extraneus ignis depauerit axungiam, atq; etiam accenderit carnem, atq; dura membra, tum illæ hypostases inspectabuntur, quas in hecticis, & tabidis febribus consistere diximus. Nam ratione compertum est illas esse orobeas, & furfureas, & lamineas, similaceas. Frigidam autem intemperaturam si cor patiatur, mediocriter alterantur urinæ inclinãtes ad albiores, atq; contenta eis aderunt crudacea, & quantitate mediocria. Nanq; colores alterantur mediocriter, si nondũ cõpatiatur he

Intẽperiei cordis ad caliditatem uersi, ex urina notæ.

Frigidæ cordis intemperaturæ urina.

par.

par. Contenta uero mediocria, & crudacea erunt, cum iam concoctio & alteratio, quæ genuinæ caliditatis sunt, credantur tabefacienti frigiditati inductæ. Iamq; si intendatur ipsa frigiditas in corde, etiam tabescet naturalis & genuina caliditas. Albæ præterea urinæ, & tenues erunt, atq; hypostasi priuatæ. Sed ea mala qualitas si ualde excesserit, tum contenta earum reddentur liuida & nigra. Atque fortasse urinæ omni ex parte nigræ spectabuntur, cum aut melancholicus humor illuc profundatur ob extremam debilitatem genuinæ uirtutis; aut frigiditas induxerit tum mortificationem, tum nigrores, qui sunt mortificationis colores. Nanque contingit etiam alterutrum eorũ fieri. Hoc enim eueniet ob extremam infirmitatem uirtutis excretiuæ, cum illuc cõfluxerit nigra bilis, tũcq; homini accidũt timores, et tristiciæ, et oris sonitus ĩmodici. Illud uero eueniet cũ frigiditas multũ fuerit exaucta, tũ efficit urinas nigras, p̃sertim cum auersus fuerit color urinã illustrãs.

Colores urinæ letales.

Quod discere licet in nubibus quæ quo-
ὁμοίωσις tidie apparent. Hæ enim cum rarefactæ mediocriter fuerint, tum illustratæ proprios colores ostendunt, quæ nimis spissatæ, & crassescentes nigricare spectantur. Nam urinæ prius fiunt umbrilucæ, exaucta deinde asperitate procedente tempore nigrescunt. Atq; hoc pacto affecto corde eiusmodi urinæ proueniũt.

De præuidentia ex urinis facta alteratione in pulmone. Cap. V.


VONIÃ pulmo post cor promptius alteratur, etiam urinas afficit, qua intẽperatura ipse fuerit affectus: de hac re prius disputarimus, deinde de reliquis. Si igitur affectus sit pulmo calida intemperatura, urinæ mutabũtur ab ijs quæ secundum naturam, ad aureum uergentes. Et si creuerit caliditas, etiam in urinis colores excrescere uidebuntur, atq; fieri rubeæ ac uineæ. Cuius etiam rei argumenta sunt ab ijs quæ extrinsecus, ueluti est mala spiratio, & sitis, & linguæ siccitas, & nigritia. Frigiditate uero si affectus sit

Calidæ intemperici pulmonis indicia.

Frigidæ.

ſit pulmo, reſpirationes primo erunt tar diores, poſterius etiã pauciores: & abſq; ſiti ægroti erunt, ac aërem quem inſpi-rant, frigidum ſentiunt, atq; faucium ui-tia parua ipſos moleſtant. Eorum urinæ uergunt ad album, non tamen uehemen ter. Nanq; pulmo membrum calidũ eſt. Et cum parum alterauerit urinas ad al-bum, tum arguit magnam in eo factam eſſe refrigerationem.

De præuidentia ex urinis ab hepatis affectibus. Cap. VI.



I hepar à calida intemperatu-ra fuerit affectum, producet urinas aureas & ſubrubeas. Sed intemperatura eiuſmodi exaucta, urinæ apparebũt ualde paſſeæ, atque uineæ: atq; tuſſes magis moleſta-bunt, atq; ſites, ſi curuæ partes hepatis inflammatione laborauerint. Quemad-modum uomitus potius excitabuntur, ſi cauæ eius partes male fuerint affectæ. Intemperatura uero mediocriter frigi-da ſi hepar laborauerit, urinæ profluent ſpiceæ atq; ſubſpiceæ. Exaucta uero ſi

Hepatis affectuum notæ.

frigiditas fuerit, urinæ apparebũt albæ. Sed interdum in eis spectare est crassitudinem cum albedine.

De præuidentia ex urinis ab affectibus cerebri. Cap. VII.


Erebro mediocriter affecto urinæ proueniũt aureæ, atq; ad subaureas inclinãtes. Maiore uero caliditate producta ita ut inflãmationẽ adesse existimetur, urinæ spectantur uineæ atq; subsanguineæ. Contrariæ hisce prouenerint, si frigiditate affectum fuerit.

De præuidentia ex urinis ab affectibus uentris. Cap. VIII.


Entris & stomachi, qui ob calidã intemperaturã ceciderũt mutationes per urinas minus ostendũtur. Nãq; frigida intemperatura cũ correpti sint, tum urinæ ita albæ gignũtur, ut est frigiditatis mensura. Calidiore uero intẽperatura affecti urinas aureas atq; croceas profundunt: in quibus adesse solẽt stomachi dolores quæ καρδιαλγίαι appellantur à Græcis. Itẽ sitis & bilis interdũ tenuis, atq; cro-

ceæ uomitus, & satietas, & oris amaror, atq; capitis dolores qdã modici. Quẽad modũ in affectione mediocriter frigida laborãtes sunt appetẽtes, atq; siti carẽtes. Sed frigida affectione exaucta reddunt uertiginosi, atq; se regere nequeũt, uelu ti consternãtur, atq; tremorẽ cordis sen-tiũt, cibũ potũq; fastidiẽtes. Hæc igitur ipsa potius in intẽperaturis puris dicta sunt. Quod si materia quoq; aliqua coi-uerit cũ omnibus hisce dictis has urinas reddet. Nanq; cũ urinæ exiuerint, crasse scẽt, atq; cõtẽta in eis accumulatiora spe ctant, & ægritudines in affectibus eius-modi diuturniores fiũt, cũ humorũ con coctionibus dissoluatur ægritudo. Sed hæc quidẽ cõcoctiones & incoctiones, atq; mutationes urinarum manifestare possunt: nos uero ad cætera trãseamus.

Vrinæ co-lor in uen-triculi affe ctibus secũ dum morbi qualitatẽ.

De præuidentia ex urinis profluentibus à co starũ passione uera & non uera. Cap. IX



Assionis costarũ urinæ in ini tijs subrubeę sunt, deinde pro cedentes rubescũt, atq; uineę fiunt & crassescũt, atque mu-

tationibus ostendunt, quæ sint accasura. Humore uero frigido septum transuersum molestante, atque perquàm modicum dolorem mouente, minimamque spirandi difficultatē, eò quia pectus aggrauatum est ab eo, urinæ albæ, & tenues, item conturbatæ, & crassæ proueniunt. Atque à qua intemperatura corripiatur corpus, etiam urinæ ostenduntur cū coloribus illius. Atque facilius à frigidis corripiuntur homines, atque ostenduntur hæ urinæ: tardius uero à calidis, ac non etiam multum ostenduntur hæ.

Diaphragmatis affectinotæ.

De præuidentia ex urinis ab affectis renibus, & uesica. Cap. X.



Enibus & uesica affectis similes urinæ proueniunt. Dictū est etiam de hisce in ijs quæ de iudicijs urinarum, diligentius. Atque de cæteris, quæ eis accidere cōsueuerunt, ab illis dictis discere oportet. Quoniam uero ea membra fuerunt urinarum uasa, facilius cum quicquam ipsis acciderit, demōstrauerint, à proximo habentes modum demonstrationis.

Nam

Nam cætera membra ſolummodo, cũ uehementer propria affectione alterauerint urinas, nullum aliud ſignum euidens oſtendunt. Quamobrem cum aliqua debilis paſſio ipſis aduenerit, nõ etiam prompte in urinis illa ſpectatũ. Hæc uero quoniam cæteris fuerunt poſteriora, urinas profuſas recipiunt, atq; paſſiones proprias (etiã ſi mediocres fuerint) interdũ demonſtrant. Idipſum, tanquã mercedem, ipſa potius quàm cætera mẽbra accepiſſent meritò eiuſmodi miniſterij naturæ. *Vrinæ uaſa exactius prodere læſionem.*

De præuidentia ex urinis ab affectis colo, & inteſtinis. Cap. XI.



COlo atq; inteſtinis inflammatione laborantibus nõ etiam urinæ colorabuntur ſecundũ illa, quæ magis naturalem calorem participarunt. Sed frigida intemperatura cum eiuſmodi partes corripiantur, & eiuſmodi humor influxerit in ipſas, tum urinæ ſpectabuntur albæ, & aqueæ. Atq; ſiqua fuerit oppilatio in colo, tum urinæ erũt hypoſtaſi priuatæ. In *Coli oppilationis ſignum.*

intestinis uero si acciderit oppilatio, uri-
næ erunt crassæ frequentius, atque lacti si-
miles. Atque passione procedente, excre-
tiones erũt plures, atque crudiores. At nũc
reliquum est, ut de utero dicatur.

De præuidentia ex urinis ab affectis utero, & podice. Cap. XII.


Terus, qui ut membrũ est nõ adeò principale, ita maxime alterat totum corpus, qua corripitur ab aliqua intemperatura. Ergo urinæ eo modo accidit ut sint similes tractu temporis ijs, quæ ab intemperaturis aliorũ membrorum non adeò principalium eueniunt. Sed ubi in hisce membris genitus sit pus ab aliqua causa, qui sit sanequàm mediocris, id non erit euidens in urinis. Sed si fuerit excedens, tum colligetur in uesica pus, atque apparebit hærẽs fundo matulæ, qui manifestus erit & à specie, & ab odore. Atque priusque loquatur ægra, tu dixeris eam affectionem: dijudicaueris uero, ut non sit uesicæ pus, commouendo facile urinam, atque intelligendo nunquam indoluisse *Puris cognitio.*
uesicam

uesicam. Quinetiam cum menses absq; ratione retineãtur, uno iam mense præterito apparent unà cum cõtentis ramenta rubea innatare. Atque procedente retentione, etiam ramenta eiusmodi plura spectantur, atq; urinæ color ad subrubeum, atq; etiam ad rubeum tendit. Verun tamẽ ut orationi gratia aliqua afferatur, atq; fides dictis nõ parua fiat, hanc subiunxero historiã, quæ incumbentibus hisce studijs erit perquam utilis. Mulier quædã diues, atq; mollis, tres aut quatuor filios pepererat, quorũ tres ferè infantes mortui erant, solum unum audiebat mater. Atq; quodam tempore præterito, ipsaq; ambigente dum uideret spem omnem suam in solo uno filio, qui repente tolli posset, fluctuare. Verebat enim ne si puer moreretur, cogeretur alienis bona sua tradere. Nanque (ut dictum est) ubi amiserat alios, quærebat modum quo alterum filium pareret, atque spem seruaret. Ergo (ut mos est mulieribus) desiderium aperuit, atque solutionem quærebat. Quidam dixere hanc

Indicatio retentionis mẽstruorũ.

Historia retentorum mensium.

ſolutionem, ſi menſium aliqua fieret na-
tura uel arte retentio (nanq; ipſi menſes
plus iuſto profluebāt) cōciperet. Quod
perſuaſa, rei operam dedit, ac uehemen
ter retenti ſunt menſes, unde conceptus
ſpes magna eam tenuit. At uero ſecun-
dus menſis erat, mulierq; modice cōtur
Vteri infla tio & tu-mores. babatur. Nāq; cumulato ſanguine men
ſtruo per uterum, neq; locus exeundi ha
bebatur. Accidentia, ut uidebatur, pote
rant eſſe ſigna conceptus. Nanq; in ini-
tijs conceptuum ſimilia accidere ſolent.
At tertius aderat menſis, & paſſiones
proceſſerant. Vbi uero etiam quartus
aduenit menſis, tumq; cum grauidis mu
lieribus ſi quid præfuiſſet moleſtię, illud
ſedatur: ipſi uero magis uēter intumuit,
atq; accidentia peiora ſentiebantur. Igi
tur circa quintū mēſem audiui ut mulier
correpta eſſet ab ea paſſione. Erat enim
mihi una ex maxime familiaribus. Quā
obrē ad eā acceſſi, atq; intrās uidi ipſam
ſupinam iacētem in lecto, & ſalute acta
rogaui, ut haberet, ac tetigi pulſum. Illa
uero ſubtili ac pertenui uoce reſpondit.
Pulſus

Pulſus erant pertenues atque diuerſi, atque uirtus genuina propè uicta. Cutis ueluti cortex maligranati, & color eius uergebat ad arquatū, & omnia quæ circa faciē ſunt, multum atrenuata, atque manus & humeros ſatis hærētes pectori habebat. Sed uenter magnopere extuberabat.

Quoniam uero oportebat etiam urinā ſpectare, etiam ea erat tenuis, atque mihi uiſa eſt mediocriter ſubſanguinea. Contenta uero in eis ſubſidebant ad matulæ fundum ualde rubentia, atque ueluti ſimilacea. Atque tunc mihi non poterat facile cognoſci paſſio, quæ non multum trita eſt breuiarijs libris medicorū, eò præſertim quod nemo ex ijs medicis qui illuc frequentabant, paſſionem intelligeret, ſed putarent omnes aquam intercutem eſſe. Quoniam uero paulopoſt legi de paſſionibus mulierum, doctusque ſum quàm graue eſſet retinere menſtruū ſanguinem, audiueramque mulieri hunc retentum eſſe: deinde hac ratione ſuper eius urina ratiocinatus ſum, illam recta ratione illiuſmodi profluxiſſe. Nam par

Vrinæ qualitas.

tim ob manifestissimã collectionẽ sanguinis ĩ utero tumore effecto eiusmodi, partim ob uicinitatẽ uesicæ sanguine cõmisso cũ urina, factũ erat ut urinæ colorarentur. Sed ob assationẽ sanguinis apparuerint cõtenta similacea, atq; rubea. Hoc pacto ab immodica menstruorum retẽtione, præsertim si natura antea multa profluxissent, urina alteratur, atq; tractu tẽporis cõmutatur. Cæterũ ut omnẽ historiã finiamus, reliqua subiũgamus. Sextus mensis aderat, cũ in latere intumuisset quoddã uehementer, atq; mollitũ est tẽpore procedente. Vbi uero septimus mensis aduenerat, prorsus mollitũ est medicorum emplastris, atq; deinde apertũ est, ac reliquo tẽpore defluxit ab eo sanguineus pus. Sed uenter ab inde euacuabatur, quãobrẽ magna spes salutis & uiro eius oborta est, & medicis illuc frequentantibus. Quod non ita successit, sed paulò post euacuatio simul omniũ spem perdidit. Nã, ut arbitror quatuor dies post tumoris aperturã, uenter euacuatus est re omni affligente, atque

Similaceæ urinæ causa.

com-

commissus est, mulier uero ueluti inanimis redacta absque reluctatione aliqua uitam efflauit. Hæc est historia, & ita se habuit. Tu uero diligenter hinc audiuisti, ut ratione uicinitatis participatus sit color urinis ob sanguinē collectū in utero, utque mediocri collecto sanguine, cōtenta sola perparū alterātur. Sin uero collectus excesserit, etiā alteratio erit maior. Sin autē usque adeò excreuerit, ut etiam uenter extuberascat, etiā colores mutantur urinæ, atque primo in subrubeū transeunt, deinde in rubeū atque subsanguineū. Cōtrà uero tū asperiora spectant. Similia hisce accidūt, cū podex inflāmatiōe diutius intumuerit, atque hemorrhois absque ratione retēta sit, maxime si pridē multo tēpore sanguinē profundere soleret, fueritque homo multi sanguinis, atque necūde euacuauerit sanguinē superingenitū. Nāque tātū hæmorrhoidis retētio distat à retētionibus quæ in utero, quantū ea quæ secūdū passionē sunt, ab ijs quæ secundū naturā habētur, ceciderūt. Illa enim tractu tēporis consolidata, nititur

Sedis inflāmatio & hæmorrhoidis retētio

Retenti mẽses gignendi morbos potentiorẽ habent causam.

reuerti ad naturam. Excretionis uero ab utero factæ secundum naturam retentio maiorem alterationem in corpore, & urinis efficere potest. Quamobrem quales urinas retentio menstruorum unius aut duorũ mẽsium effecerit, tales quoq; hæmorrhois retenta reddet per multo plura tempora. Eadẽ ratione siquid aliud fuerit præter naturam in utero, hoc infusum in urinis significationem quandam passionis parat ijs qui hisce rebus diligenter operam nauant. Sed de hisce satis: posthac dicendum est de reliquis, siqua modo aliquo relicta sint.

De præuidentia ex urinis ab affectibus extremitatum membrorum. Cap. XIII.



Vm manus, ac pedes affecti fuerint, uel ab intemperatura multum frigida, uel frigido humore, aut ab intempetura calida, uel materia calida quæ defluxit, si cæterum corpus simul etiam ægrotauerit, tum in urinis affectiones eædem efficientes euidenter apparebũt. Quamobrem quantũ qualitas, & quantitas humorum

morum ægrorum intendatur, tantũ etiã urinæ transmutatæ distabunt ab eis quæ secundum naturam. Quod si cæterũ corpus per se sanũ fuerit, atq; causa aliqua affligens influxerit ad extremas corporis partes, ita ut hæ male habeant, nõ etiam mediocriter alteratæ apparebunt urinæ. Sin uero illa causa abundantius fluxerit, etiam urinæ tum mediocriter spectabuntur alteratæ, cũ uix passio adusq; cor peruenire uideatur. Quinetiam differentiæ colorũ & contentorum arguũt qualitatem, & quantitatem humorũ, & concoctio, & cruditas tam morẽ ægritudinis, quàm uirtutis firmitatẽ ostendũt, ueluti spaciũ temporis demonstrant celeres & tardæ urinarum mutationes. Operæpretium est præter ea id etiam non ignorare, ut non paruas differentias habeant inter se corporis partes. Nanque alio modo alterabit calefactus pes, & alio uesica calefacta. Item alio modo uterus, alio renes, & alio lien, alio septum. Quemadmodum illo modo caput, hoc modo hepar, aut pulmo. Nanq; hæc ma

Color.
Coctio.
Differẽtia partium.

gis participarunt colorem, aut naturali proprietate, & in proprijs cõceptaculis: aut uicinitate primi calidi, aut sensus magnitudine. Oportet enim scientem proprietates, & uires uniuscuiusq; membri, etiam singulorũ mensuram propriã habere, tam cum mediocris caliditas exaucta fuerit, quàm cum ob excessum corrupērit subiectũ. Veluti contrà cum qualitas fuerit modice & immodice infrigidans. Nanq; membra calidiora facilius à causis calidis alterantur, & conuincuntur, difficilius uero à frigidis mouentur. Quemadmodum frigida membra tardius à calidis, celerius à frigidis afficiunt. Siquidem eorũ quæ sunt uiciniora qualitati naturali temperatura & proprietate, unumquodq; facilius alteratur. Veruntamẽ ut manifestius rem capias, hinc ueluti exemplo, discere licet. Hepate mediocriter caliditate affecto accidit ut urinæ aureæ atq; croceæ proueniant. Sed si eiusmodi urinæ in colo ægro fuerint apparentes maiores, dolores inesse arguent, atq; unusquisq; arbitrari poterit, mẽbrum

Cuiusq; mẽbri qualitates facile augeri posse à similibus, à cõtrarijs ægre.

brum prorſus inflammatione languere. Quod ſi pes aut manus patiantur, atque urinas eiuſmodi profuderit, dixeris ægrotantem diſrumpi dolore, atq; æſtuare. Nam quantũ diſtiterint mẽbra à primo calido, eò maiore etiam caliditate alterantur. Eadem ratione res ſe habet in frigiditate. Nanq; hepate correpto ab intẽperatura aliqua frigida, urinæ ſubalbidæ ſpectantur. Altero aliquo membro remotiore refrigerato, non ita facile etiam urinæ mutantur. Ergo etiam principalia membra ſi ab aliqua fuerint paſſione correpta, facilius urinas alterabunt ratiõe principatus. Remotiora uero uel ſi deteriorẽ paſſionẽ tulerint, mediocriter urinã alterabũt, atq; tarde. Quãobrẽ hinc raciocinandũ eſt, eò peiores affectiones eſſe in eiſdẽ urinis, quò mẽbra affecta unde profluũt, magis diſtiterint poſitione, & proprietate à principio. Atq; oportet uirũ prudentẽ eo pacto animaduertẽdo in urinis diſqrere proprietates mẽbrorũ, atq; affectiones eorũ p ea quæ in urinis ſpectãt, ratiõe cognoſcere, atq;

Membrorũ natura obſeruanda.

prædicere. Poteſt nimirum plurimum conferre huic propoſito diligens inſpectio differentiarum partium neruearum & uenearum. Præter hæc quæcunque propria quatuor horis anni & ætatibus, & temperaturis, & conſtitutionibus ægritudinũ apparuerint, hæc mitiora exiſtimare oportet, quàm quæ aliena eſſe cõtingit. Item quæcunque facilius con coquuntur & transmutãtur, hæc demonſtrant naturam firmam eſſe, atq; humores concoqui & alterari celerrime. Quæ uero uel temporis tractu mutantur, uel mutata in peiora proceſſerint, illa reprobare oportet, atque putare animal paruo momento indigere ad interitum incurrendum. Veruntamen ut hiſtoriam hac in parte referam diſputationi cõuenientem, ad alia conuertar. Senex quidam familiaris meus in febrem incidit, atq; male habebat. Quod ubi audiuerim (undecima tum erat dies) ad eum uiſendũ iui. Erat uicinus, atque uir probus. Inueni illum ſupinum iacere, atque ſubtuſſientẽ, ſputaq; craſſa cum ſonitu excreantem.

Hiſtoria febrientis.

Sor-

Sordesq; illi circa oculos non parua hærebat. Sed sputa non nimium mala erãt, nisi quod procedentia etiam in uentrem descendebant, eumq; emolliuerant plus quàm par erat. Pulsus eius erãt hominis uehementer febrientis, sed cæteris in circumstantijs erant obscuri. Vrinæ subrubeæ, atq; deinde rubeæ apparuerunt. Sextadecima parum mutatæ sunt urinæ erga modestius. Iterum effectæ sunt crassæ & rubeæ, & subsanguineæ circa contenta. Venter etsi multa excreuisset, nihil tamen adiuuit. Ad hæc per uentrem unà cum excrementis mediocris quantitas sanguinis euacuata est, ita ut ob hæc uisus sit homo emori. Et ego non etiam accessi, necessitate quadam ad alia me cogente; sed audiui tribus post diebus hominẽ mortuum esse. Videbatur igitur ille maiorem febrem, quàm quæ senem deceat, habuisse, idq; hyberno tẽpore. Nam cũ eiusmodi res accidit, consueuit non mediocriter conquatere uirtutem genuinam, ita ut tractu temporis caderet. Quinetiam ab assidua siti febris

uehementia arguebatur. Tussis non parrum hominem molestabat. Vt uero non uidebatur natura facile præstare materiæ, demonstrabant per tot dies cruditates urinarum. Nãq; opus erat multo longiore tempore, si merita salutis præferri debuissent, ut hinc profecta ad ea, quæ secundum naturam concessissent. Hoc enim quod secundum naturam habet, tantum temporis lõgitudinem requirebat. Quamobrem procedente tempore peiores substantiæ, & contenta urinarũ spectabãtur. Quid igitur quisquã aliud ab hisce putauerit, quàm futuram esse mortem, passim cadente uirtute? Hoc pacto oportet uirum mente præstantẽ uaticinando præuidere futura, atq; mutationes urinarum ad bonum, hilariter accipere atq; prænunciare. Contrà uero execrari momenta ad malum inclinantia. Quinetiã mutationes longiore tempore factas, arguere ægritudinis tẽpus multum protrahi: & quæ matutino potius fiunt mutationes, has ostendere breuiori tempore ægritudinem terminatũ iri.

Victæ naturæ argumẽtum.

Præuidẽtia decet medicum.

tri. Ergo si prima die urinæ cōcoctæ apparuerint, tertia uel quarta ægritudinem solutum iri proferas. Quod si secūda uel tertia concoctæ fuerint, ægritudinis solutionem peruenire usq; ad septimam. Quod si quarta dies etiam incoctam urinam ostenderit, non etiam si quicquam fiat, ipsa hebdomada crisim ægritudini posuerit. Nanque crises quæ in hebdomada exercentur, quarta potius antea aperit, atque ostendit, præmittens parua quædam concoctionis signa. Quemadmodum contrà in malum mutata, si ualde praua signa præmiserit, mortem in ipsa hebdomada inferet. Sicuti quoq; undecimæ octaua est index, & undecima decimæquartæ, atq; alia alius, ueluti in libris de crisi sapiens Galenus tractauit. Atq; temporum productiones hac ratione considerando adinueneris, cum per ternarium & quaternarium omne tempus ægritudinis dimetieris. Secundum quam rationem etiam principium secundum latitudinem dictū dimetitur.

Quarta indicans.

Et Hippo. li 2. apho. 24.

De præuidentia ex urinis super ægritudine an uelocius, an tardius soluatur. Cap. XIIII.



N ægritudinibus acute motis, euenit interdũ ut aliquid assumatur, contrà uero ut aliquid minuatur in ijs quæ mouentur tardius, siue euasuri, siue morituri sint homines in ęgritudinibus ipsis. Siquidem, ut exemplo utamur, si quarta die appareat concoctionis exactæ signũ in ægritudine peracute mota, iam nondum plena ea quæ incepit hebdomada, sequetur crisis, si contigerit, materia ob celeritatem præsultante. Sin uero ægrotudo moueatur segnius, tum uix etiam plena hebdomada crisis reddetur, usq; adeò ut opus sit etiam media octaua ad crisim faciendam. Cõtrà uero, signo nobili prauo, die indice inspecto, in ægritudine acute mota, sexta die præripietur homo. Quemadmodum octaua, si ægritudo segnius moueatur. Sed de crisi disputatio, & dierum productionis numerus ab hisce poterit comprehendi. Licet

Crisis præuidentia ex morbi motu.

tamen

tamen exactius scire studenti, ac exerce re, qui legerit librum illum qui de crisi à Galeno compositus est. Præter hæc illud non ignorare oportet. Nanque tempore uehementiæ ægritudinis urina quã fecerit ægrotans, multò peior apparet, quàm quæ fiunt horis remissionis, idque decenter. Nanque tum urina illiusmodi apparet, cum caliditas quæ concoquit, incumbat alijs. Nam etsi in ijs appareat incoctum, hoc tamen est signum inclinationis caliditatis naturalis ad alia. Cũ enim erga maiora atque affligentia uehementer uires omnes colligendo intendat & habeat natura, tum neque facile nutrit, neque alterat, neque concoquit, sed interposita inter duo mala est, tanque utrunque eorum subitura. Putatur enim neutram actionem perfectam exequi. Nanque si cum ob unam operam fuerit afflictata, neutiquam facile cõuenientia expedire quiuerit. Lõge maiores errores commiserit, ubi distenta multis actionibus agere quicquam fuerit aggressa. Quando autem humoribus præstiterit,

Vrina paroxysmi.

ſta ut concoctionem in ipſis fecerit, tum meliores colores & ſubſtantias urinarũ oſtendet, quàm quas in paroxyſmis apparere contigit. Tunc etiam exponũtur contenta ſecundum rationem cõcoctionis. Quod ſi natura aggrediendo munia acumine fuerit afflictata, ita ut nullo pacto opportunorum munerum expediuerit, atque urinæ ſimiles conſpectẽtur & in paroxyſmis, & in remiſſionibus, ſignificatur natura nondum materiæ præſtare. Atque hac ratione oportet conſiderare ea, quæ ſimul quoque feruntur. Nanque ſi motiones ægritudinis fuerint acutæ, natura uero concoctionem nullam oſtenderit, atque hoc pacto procedatur, metus non paruus adeſſe debet, ne defatigata uirtus propriam actionẽ amittat: quo quid poteſt eſſe deterius, morte inhærente in hiſce? Quamobrem prænunciandum id eſt conſideranti diligenter ſimul omnia ægri merita. Si uero ægritudinis motiones fuerint tardiores, modeſtiores quodammodo ferentur paroxyſmi, confidendum eſſe nunciaueris, ac ſi

Aegritudinis fortis mortis abſque coctione, interitũ præſagit.

tractu

tractu temporis ægritudinem solutũ iri cẽseas, modo partes uirtutis sint firmæ. Nanq; etsi lateat ut natura in initijs colluctata sit, appareatq; ut non hactenus materiæ præstet, etiam cruditates non contemnendæ spectantur. Sed iam incepto tempore uidetur concoquere, atque passim materiæ præstare, etiam æger facilius paroxysmos tolerat, atque concoctionis signa cernũtur. Sed tractatio de præuidentia ex urinis, ut arbitror, indepto hac in parte fine, in eadem etiam omnem disputationem de urinis concludit. Nõ enim amplius sermonem extendere, neq; circa eadem eodem modo cõuolui, atque uersari operæprecium esse probatur.

Breuis repetitio capitum totius disputationis. Cap. XV.



Vm hactenus tractatũ de differentijs urinarum, atq; de iudicijs exegerimus, ac præter hosce alios de causis urinarũ, ueluti nunc demũ eos qui de præuidentijs, uisum nobis est nihil relictum esse

quod referre oporteat. Nam in unaqua- *Epilogus.* que diſputationis parte, tractata ſunt quæcunque ſpectant ad colores, & ſubſtantias, & quantitates fluoris, & contenta, & quæ in contentis eſſe dicuntur & apparẽt, qua mutantur ſecundum colorem, & ſubſtantiam, & quantitatem, & lenitatem & aſperitatem, & poſitionem in ſpacio ipſo fluoris, & quæcunq; ſuper bullis dicta ſunt, & odore & colliquamine innatante. Quinetiam ſubiunctæ ſunt diſputationibus prædictis quæcunque membrorum affectiones ſunt primo paſſiuæ, & quæ ſunt cum altero paſſiuæ: & intemperaturæ, & actiones, & cruditates, & genera, & ſpecies febrium, & longitudines, & breuitates ægritudinum, & quæ ſpectant ad mortẽ & uitam. Quorum alia euidenter ſunt expoſita, alia prætermiſſa: quod dũ hæc ſunt comprehenſa in illis, ex illis inuenta diſcuntur. Præter hæc & quæcunque licet ſcire illi, qui librum hunc exercuerit, iam iuſtum eſt, ut etiam uiſum eſt, ut hac in parte omnem orationem ſuper

hiſce

hisce terminemus, putantes hæc pauca referre erga eos, qui hisce rebus operā nauant, ne prompti sint in maledicēdo, nosq́; ab omni culpa uindicent. Quod si reminisceremur eorum quæ in initio facultatis huius dicta sunt, subdendum etiam hoc ipsum orationis curriculo esse uidetur.

Quonam pacto ad eiusmodi disciplinæ genus promotus sit autor.

Cap. XVI.


IAm pridem philosophiæ parti naturali operam dederam, eāq́; præ uiribus eram indeptus, cū etiam cupiditas quædam me subiuit medicæ artis capessendæ. Aggressus itaq; sum contemplatiuam eius partem, atq; in ea omnem operam, ut par erat, contriui. Quinetiam animaduertens hinc medicæ artis partem curatoriam, quæ hominibus amica est, hinc partem, quæ cū philosophia consentit, exhorruissem illa insudatione, quæ curandis ægris corporibus assidua delegatur, nisi succurrisset magna ratione peruestigādas esse ægro

Instituti ratio.

rum passiones, ita ut in illa exercitatio-
ne uidebatur mihi abstinendum esse à
ualida quadã motione in ijs rebus, qua-
rum antea nullam ulla ratione contem-
platus essem. Itaq; uehementer hisce stu
dijs inhęsi, atq; præ uiribus incubui, mul
tis rationibus adhibitis, ut significationi
bus passiones comprehenderem. Puta-
bam enim curationem in qua nulla esset
adhibita contemplatio, tutam nullo pa-
cto fore: eam uero in qua certa ratio do
minaretur, cum tutam, tum faciliorem
existere. Veruntamen cum tractu tem-
poris eo pacto procederem, etiã aliquid
subiungere ipsi arti meditatus sum, ut id
in arte ipsa esset causa cognitionis, etsi
cernerem omnia rationũ conamina me-
dicam artem adiuuantia, plena esse inge
nij & disciplinæ, maxime illa quæ glo-
riosus sapientia & arte Galenus intro-
duxit. Dũ scientiã de urinis quærerẽ, ut
meipsum exercerẽ, reperi pauca quæ-
dam de ipsis, n escio quo pacto sparsim
cri pta ab ijs qui artis eiusmodi fuerunt
xplorat or es. Ipse uero inspectis singu-
laribus

Medela cũ ratione tutior.

laribus urinis tam in hominibus sanis, quàm ęgris, perpauca principia collegi: atq; illa animaduertendo, & ratione indagando, breui eò perueni, ut uniuscuiusq; causas indagatas reddidissem, usq; adeò ut possem ab urinarũ significatione absolute dijudicare. At uero ubi tractu temporis animaduerti illas inuentiones saneq; ueras esse, cognoui causas certas illorum effectuum adinuenisse, & reliquorum, tanquã à quibusdã optime habitis principijs profectus sum ad iudicia & præuidentias ferendas. In quo nõ parũ cõtulit sociata disciplina de pulsibus atq; reliquiæ quædã, quæ scriptis traditæ sunt ab antiqs uiris. Vnde uisus sum aliquid arti medicę subiunxisse, ut dictũ est. Nãq; hac ipsa parte maxime mancã esse medicã artẽ inueniens, summo studio eam perficere aggressus sum, ac inceptũ, cõcedente Deo, ad finẽ perduxi. Etsi nostra hęc disputatio uideatur aliquo modo conferre sanis & ægris hominibus, tanq; ueritatis sequax, Deo omniũ bonorũ largitori gratiæ summæ haben-

Pulsuũ scientia.

dæ ſunt. Nos uero nefas eſt, ut quiſquã accuſet nomine ignorãtiæ. Quod ſi etiã quicquam erraſsimus (nam errare perquàm facile contingit) ipſe idem inuentor noſtrum errorem deleat atq; oſtendat, & ueritatem demonſtret, quandoquidem uehementer amarem. Si dum circa res graues tractando uiſus ſim aberraſſe, fortaſſe quoque gratias actas feremus, ſi (dũ res maximas primus præmouerim ac tractarim) diſputatio aliquo in loco claudicans, ita ut uideretur dare maledicis anſam me carpendi, caſtigaretur, ac reciperet rectitudinem conuenientem ad cognitionem capeſſendam.

Inuidiæ deprecatio.

Ad hæc tractatio de omnibus ſigillatim nõ ſolum nobis exiſtimata eſt difficilis, uerumetiam alijs quibuſuis uiſa eſt non facilis. Neque eò quod unum totum qd' artis eſt, collegimus, illud utile nobis eſt (pluribus enim indigemus, ut totũ hoc ipſum tractemus, præſertim quæ nos auditores etiam parui uouemus, ut conſequamur, idq; reſpuentes prorſus ipſum totum artis) Sed quoniam quæ uniuerſa

lia

lia sunt, paucis uerbis & rationibus continentur, atque faciliora sunt ad capiendum, promptioraq; ad pronunciandum utilia sunt. Cumq; oporteat diuidendo explorare, usq; ad quædam libere procedere potest oratio. Nam ubi ad maxime propria, particulariaq; peruentum fuerit, tum ad ulteriora prohibetur progressio. Particularia enim distributa sunt infinitudinis natura, & ratio lassaretur si hinc ad ulteriora procedere aggrederetur, ueluti compertum est. Quamobrē quæcunque referri poterant per eiusmodi uniuersalia super humore urinæ, & cōtentis, ac cæteris, nos diximus, inq; cunctis (ut arbitramur) ueritatem ostendere magnopere enixi. In quo si quicquā dignarum rationum uideatur aperte prætermissum, hoc ipsum potentia quadam in dictis, ut puto, continetur. Quoniam uero tractatio hæc nostra exposita est uiris prudentibus, fortasse etiam ipsi exercendo ab hisce singularia facillime cognouerint, & quæcunque complicari possunt, & non possunt. Quinetiam fa-

Particularia natura infinita.

cillime ex hisce tanquam manuducti, promptiores fieri poterunt reddendo in cõplicatis tam iudicia, quàm præuidentias. Nanque nobis uisum est negotiũ potius superfluum iterum eandem rationẽ repetentibus, dum complicaremus quæ complicari possent, atque super hisce rationes redderemus. Illud autẽ intelligendum est, eiusmodi nostram præsentem disputationem ueluti primitias quasdã esse in arte. Exercentibus uero ipsam licebit ab eius auxilio plurimum adiuuari. Sed conspectanti artis medicæ partẽ hominibus amicam, atque desideranti introducere ea quæ uidentur hominibus collatura, licebit frui bonis ex arte, atque introducere si quid aliud uideatur deficere. Maxime autem conferentia sunt, quæ ad præuidentiam faciunt, & curam accidentium corpori humano ægro. Illorum autem qui uerum omnium scientiarum sibiipsis parare nituntur, molesteque ferunt sicubi quicquam quisquam uitæ humanę utilitatis attulerit, altissimos linguæ stupores fugiendos esse. In quo potius

Quo loco hunc librũ haberi uelit.

tius adinueniendum esset medicamẽ affectum qualitate cõtraria eiusmodi passionibus, ut recte caueremus ne linguæ aliorum in periculo essent subeundi ægritudines tam prauas. Veruntamẽ fortasse præsentaneum atq; pertinacissimũ medicamen uideri poterit aduersus hũc morbũ hoc ipsum, in Deo ingenua confidentia, erga homines, cum quibus consuetudinem habemus, constantiæ mediocritas, atque uerborum, rationumq; nostrarum exacta quædam cõsideratio.

FINIS LIBRI SECVNDI DE præuidẽtijs ex urinis, qui ordine septimus est, atq; ultimus totius huius de urinis, operis.